



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Pars Altera Libri XVIII

**Ripamonti, Giuseppe**

**Mediolani, 1625**

Liber Nonus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11182**



IOSEPHI RIPAMONTII  
E COLLEGIO AMBROSIANO  
HISTORIARVM  
ECCLESIAE MEDIOLNENSIS,  
Liber Nonus.

1326

**F**A quae de Modoetensi thesauro retu-  
limus, accidere Auenione anno sa-  
lutis millesimo trecentesimo vice-  
simo sexto, cum ibi Sedis Apostolicæ  
domicilium esset. At in Ecclesia Me-  
diolanensi nihil tranquilliora negotia statusve me-  
lior durabat, quam ille, vnde narratio diuerterat ad  
thesauri miracula & casus; nostriq; fama Cleri, quò  
magis progreditur annalium ordo, vehementius in-  
grauescit, vel scribentium licentiâ, qui nominibus  
eum inuidiosis onerauerunt, desertorem atq; rebellem  
appellando, vel rerum ipsarum natura & conditione,  
quæ fiebant. Ludouicus Bavarie Dux, quem ideo  
Bauarum dixere, aemulo profligato adeptus Imperiis,  
erat à Pontifice Ioanne Anathemate damnatus, atq;  
capitalis cum eo inimicitias gerebat, ita vt exturbare  
alter alterum agerent, vsusq; demum Apostolico  
iure

iure Pontifex, imperium Caesari abrogarat. Huius  
arma Galeacius cum in Insubriam aduersus Pontifi-  
cem exiisset, prodire obuiam Clerici; Pontificisq;  
hostem, Ecclesiae perduellem, carentem communio-  
ne sacrorum sub umbella in Palatium deduxere.  
Atque id parum fuerat, nisi etiam petenti postea, ut  
more maiorum coronaretur, ambitiose id ipsum, &  
impie concessissent. Coronatus est in Basilica Am-  
brosiana; & quia nullus tunc Mediolani Archiepis-  
copus erat, Aicardo, sicuti dictum est, exulante, solē-  
nia sacri eius obiit Arretinus quidam Episcopus cum  
erium aliorum praeterea ministerio, quos omneis  
oportuit etiam ipso nequiores esse, cui caeremoniam  
impiam, nescio, scelere ne, an per leuitatem gratifica-  
bantur. Sed Episcopum quoq; illum Arretinum, qui  
caeremoniae caput fuit, inuenio fuisse iam antea à  
Pontifice exauthoratum, debuitq; sicut arbitror, pre-  
tium, vel contumacia, huc descendisse. Nec de Pasqua-  
le Placentinorum Episcopo (is quoq; enim ad fuit)  
fama melior extat. Caeterum ea coronatio Caesa-  
ris adulterini facta per Episcopos item adulterinos  
haud dubie Galeacium ipsum euertit. Namq; Ba-  
uarus, exulcerato suspicionibus, & calumnijs ipso-  
rum inter se fratrum animo, Galeacium, & fra-  
tres, excepto Marco, qui accusator extiterat re-  
pente comprehensos, in Modoetiensem arcem,  
quae Vicecomitum excidio fatalis habita fuerat,  
coniecit. Actanta fuit ira, ut ne Ioanni quidem ipsi  
parceretur, quem vel praesens, vel sperata & destina

ra consensu omnium dignitas defendere debebat. Erat enim ex Mediolanensis Ecclesiae Canonicis amplissimo tunc honoris gradu, quem Principes etiam appetebant, & Pontificatum Ambrosianum ob vitae splendorem propediem habiturus esse credebatur. Is vna cum caeteris fratribus a Bauaro coniectus in vincula, documēto potuit esse, quā infida sit gratia quesita per scelus, atque per diuinarum legum iniuriam; & praemium hoc fuit obsequij quo Casarem contra Pontificis auctoritatem coronarant. Quae omnia quomodo acta sint narrabo; neque fraternalium odiorum tantum insigne & lugubre exemplum proponam, sed maius atque luctuosius aliud ad considerandas potentiorum artes, ubi vitae miserorum insidiantes, & innoxio nimium gaudentes sanguine nominibus honestis tegere diram sitim volunt. Erat Marcus inter Matthaei filios strenuus manu, consilio bonus, atque per superiora bella egregiam & fidelem Galeacio fratri operam nauarat. Sed quaecumque ille praemia acciperet, querebatur semper, non pro meritis tractari se se, quae humani animi superbia Regum saepe domos compleuit aeterno luctu, priuatis quae etiam miseres effecit. Socium querelarum habebat Ludricum patruelem suum, qui expeditionum ite comes nihilo felicior sibi virtutem fidemque suam existimabat esse in aula, quae propter genus & sanguinem prolixè agere secum deberet etiam si in otio & desidia agerent vitam. Ita patruelles duo natura queruli & superbi addente animos virtute & gloria  
cum

eum iactando sermonibus ista quotidianis vicissim accenderentur, cepere denique ab ipsa desperatione consiliū vt ruina domus opprimerent miseras & angores, & ignominias, vt ipsi interpretabantur, suas. Siue verum erat, siue conditio temporum, & ea, quae tunc agitabantur negotia, fecerant simile veri, detulere ad Caesarem hoc Galeacij crimen, quod ille clā inuito foedere cum Pontifice Ioanne pararet dedere Metropolim ei, compellere omnia sub nutum arbitriumq; eius. Nihil poterat accusatione tali capitalius esse ad inflammandum ira animum Caesaris, cum prae magnitudine criminis eius, caetera maiestatis crimina, rebellionesq; & proditiones aliae tamquam inania transmitterentur. Dummodo subiecti, vel populi, vel principes, seruarent in eo negotio fidem, vt ab Imperij nomine contra Sedem Apostolicam starent poterant caetera ferre agere suo arbitratu, rursus in ea parte commissum offensumue aliquid, suspectos ad omnia, inuisos, execrabilesq; faciebat. Cum tanta esset atrocitas & inuidia criminis apud Caesaris eius aures, iamq; alteras & tertias ab Ludrisio & Marco super ea re literas accepisset, temperauerat irae tamen, scripseratq; ipse communiter ad Galeacium & Marcum humanissime cum ad hortatione ea, vt mutuae concordiae, fideiq; erga se memores esse vellent; ipsum fore quamprimum in Italia, & digna omnibus praemia persolaturum. Vt autem descendit in Italiam, & Mediolani, sicut dixi, coronatus, aliquandiu ibi postea morabatur, tunc verò non desistebant Ludrisio

us, & Marcus deferre, & arguere, & demonstrare ex  
 composito cuncta, per quae praesens Caesar, non ad  
 ipsa modo criminis cubilia deduceretur, sed crimen  
 prodicionemq; totam, suis veluti manibus cōtracta-  
 ret. Interdum enim etiam, quò plus auctoritatis  
 accusationi esset, laudabant fratris ad caetera fidem,  
 id quasi miserantes vnum, quod ad suam & familiae  
 perniciem consilia illa insana admitteret in animum.  
 Neque fallebat Galeacium, quibus insectationibus pe-  
 teretur, distitabatq; identidem, Marcum fratrem con-  
 fodere suo pugione seipsum; & Marcus aiebat vicissim,  
 habiturum prope diem esse Galeacium eam solitudi-  
 nem, quam ultro ipse quaesivisset. Fratres haec inter se  
 cavillabantur alte exulceratis animis, alterius quidē  
 invidia & aemulatione ob maligne communicaram  
 secum fortunam paternae hereditatis, alterius verò  
 dolore & metu, quò ab eiusdem sanguinis homine  
 vniuersae domui exitium quaereretur. Nec deerant  
 ut opinor in alterutra parte infidi amici accendendis  
 offensionibus acres, quorum stimulis vterque auge-  
 rent, ille calumniam, hic incitamenta calumpniae &  
 causas. Bauarus enim uero condens profunde in ani-  
 mum, & secretà secum aestimatione pensans ea, quae  
 dicerentur, parcus, urbis compositus vultu, iam apud  
 se quid facto opus esset nemine suspicante destinarat.  
 Vinculis & venenis, quae semper instrumenta domi-  
 nantibus fuerit, statuit inimicam emendare domum,  
 eaque in omneis Vicecomites disciplina nullam esse  
 meliorem. Nam ne Marco quidem ipsi & Ludisio  
 accu-

accusatoribus abesse prodicionem. suspicabatur hoc ipso, quod proditores sui sanguinis extitissent. Offensione nimirum aliqua irritatos detulisse communis consilij indicium; vbi placati essent animi, fidem & caritatem inter ipsos, perfidiam & odia in alienos fore. Et quamquam Galeacium vnum accusatione illa infectarentur, familiam totam esse morbo contactam eodem, qui nec fortuitus repentinusque aliquis, sed naturali per omnes illos contagione diffusus esset. Maio ineunte venerat Caesar Mediolanum, Cal. Iunij fuerat coronatus. Reliquos inde aestiuos mentes cum per Insubriam ageret, Stephanum in familiam asciuit, qui Vicecomitum fratrum natu minimus erat; praeficiturq; ille ministerio intimo & periculoso tractandi pocula & praegustandi potiones Principis, quod tamen in aula illa non fiebat semper sed Germanica fere simplicitate bibebatur, & otiosa plerumq; praefectura illa erat. Novus familiaris & pincerna miser, prout composita res erat, adspergitur repente crebris aulae susurris quasi principi venenum pararet, scilicet vt suspicionis eius obtentu ipse veneno mox absumeretur; praebatq; criminationi ei materiam nota iam alia & vulgata in Galeacium accusatio. Cum iunior Vicecomes apertis iam quoque sermonibus tanti cogitati sceleris palam reus ageretur, die quodam epulante in publico Caesare, potionem, quam ille oblaturus principi erat, medicauere furtim qui negotij sibi id sumpserant Caesar, vbi scyphum accepit, reddidit pincernae Vicecomiti.

verboque est ad hortatus, ut malam opinionem rumoresque maluolorum dilueret, queis ipse diffamaretur. Rapidum inerat violentumque virus, quo iuueniliter & impige hausto Vicecomes cum vertigine protinus oculorum animique agere ore spumas retrorsumque inclinari. Ad eum verò ad spectum conscij ignarique pariter inhorruere omneis steteruntque eodem vultu; Mox, in misericordiae vicem, quae tam indigne perenni debebatur, & multorum fortasse tangebatur pectora, successere probra & contumeliae, quales aliorum adulatione, sensus aliorum iactare poterant in eum, qui sternere super dapes ex animo Imperatorem voluisset, atrocius infestiusque quam si ferro aggrediretur. Effertur moribus iuuenis ex aula seruaturque in experimentum tantummodo & quaestione, quasi verisimile fieret, potuisse quemquam inducere animum ut inter tot adstantium manus armatosque custodes, patretur facinus, quo protinus detecto, accessio ipse necis fieret. Cur non potius miscuisset venenator dedissetque lentum aliquid, quo sensim irrepente, fortuitus morbus adsimularetur? aut si tanta rabies animo, tantusque furor, ut nece sua quaereret palam Imperatori necem; & inde gloriam, quidni irrueret gladio, remque desperate perageret, sicuti nostra etiam aetate vilis vna manus septo armatis Regi abstulit vitam. Sed Stephanus in angulum fortasse proiectus aliquem luctatusque acerbissime cum extremo spiritu per aliquot horas, antequam eius diei sol occideret, vite sine eripitur tormentis, quae iudices & scribas,



haec, totusq; ille carnificum chorus exquisitissima iam excogitarat ad eliciendam, ut ipsi aiebant, veritatem, quo consilio, cuius instinctu, quibusue adiutoribus & conscijs veneficium instruxisset eum, alioqui apud veneficij authorem haec ipsa iactari ipsimet scirent. Quia iuuenis appropinquata torminibus intimis, morte iudicium eluserat, perij, amibi magnam hereditatem eputabant. Quaerentes enim Caesare effugia tā foedae suspitionis ac declinante inhumani facinoris inuidiam, dixerant palam atq; affirmauerant, quod suscepti aduersus eum sceleris ordinem, & consilia omnia, totamq; flagitio illigatam Vicecomitum gentem interrogato scelerato homine exhiberent. Ac breui eo spatio quaerendis indicijs, adornandisq; testibus occupaticum carnifice maximo satellites minores cursitarunt, sudarunt, non parum inflati facillimo interim ad principem aditu crebrisq; cum eo colloctionibus, vnde collecta admiratione & auctoritate, regnauerunt fere ipsi paucarum illarum horarum vsura, aulaq; tota die illo ipsorum fuit. Vidit Deus, multique mortalium sensere flagitia, quae per licentiam negotij dicitq; illius admisit forense ministerium; diesq; vnus ille inuenta apud principem gratia, ministro eorum aliquibus peperit opes, quas nunquam alioqui adepturi erant. Adeo largus postea Caesar fuit in eos, qui aliquomodo bene meriti fuerant de trepidatione illa sua, tunc scilicet cum corridente inter officij sui perfunctionem pincer-na, eoq; deinde agente animam, interioribus consciē-

tiae stimulis agitaretur, quasi designatus, ipse omnium oculis impostor & sycophanta simulq; venenator & parricida familiaris sui. Fortasse enim, sicut in eiusmodi negotijs vsu venit, texendo & componendo secum ipse formam seriemque ueneficij, expeditiora cuncta ad latendum fallendumq; proposuerat animo, quàm re deinceps perpetrata ipsa in experiendo succedebant. Et hoc ipso crescebat metus, ne fraus tam indigna detegeretur, quòd timeri posse videbatur exitium, si detecta foret, tenente urbem fratre iuuenis perempti, vrbeq; ipsa adspernatura & vindictura infamem dolum. Postquam infelici fato Vicecomitis, & potentia sua Caesar, & arte ministrorum, communem in eo negotio famam aliqua ex parte fefellerit, caetera deinde quae petita fuerant facinoris eius pretia, & emolumenta in facili fuere. Ceu participes authoresq; ueneficij, Galeacius princeps urbis, & templi maximi Canonicus Ioannes, & Azo, repente, comprehensi Modoetiam in arcem adsportantur absque tumultu vlllo. Conticuerat namq; Ciuitas obiecta fama tam atroci, tituloq; captiuitatis tam iusto, quòd diluisset vna domus Caesari venenum, ac numine vindice scelus in ministrum recidisset. Custodiae autem & stationes & omne militare praesidium obtorpuerant armati Caesaris praesentia & maiestate, quem circumstabat exercitus maior; cuius nutum & imperium respicere ciues coepissent. Capta sic, & afflicta Vicecomitum domo Bauarus principatuq; deleto illo omni rem Mediolanensem in Romani Imperij

perijus ditionemque vindicarat, sicuti corrasa inde,  
& ablata gentis eiusdem, olim artificijs fuisset, nouoq;  
constituto regimine in Hetruriam abiit. Ab eius  
discessu Vicarius Mediolani relictus est. Gulielmus  
Monfortius, non ille quidem sicuti Matthæus antea,  
& Archiepiscopus Otho, parans cogitansue tale quid-  
dam, vt ex fiduciaria perpetuam sibi prouinciam fa-  
ceret, Imperioq; ipsi per speciem eius fungendæ vicis  
insidiaretur; sed ipsa cum Imperatore concordia fi-  
deque erga eum infestus vrbi. Nam sicuti Bauarus  
ille, inducto in Ecclesiam dissidio, laceratoq; Ponti-  
ficatu, acta omnia nomenq; & authoritatem Nicolai  
pseudopontificis obstinate tuebatur; ita Vicario huic  
vnicus gratiæ locus apud principem, & præcipua be-  
nemerendi materies ab impietate flagitioque eodem  
erat. Quippe ciuitatibus etiam ipsis idem peccandi  
locus; neque copiosior alia seditionum materies, dum,  
vel spreto in gratiam Caesaris Ioanne, iussa nutumq;  
Nicolai respiciunt, vel pro eo aduersus hunc nituntur.  
Vrbem itaque nostram ab iusto veroq; Pontificatu  
Vicarius ille alienabat, haud sine quotidianis, vt crede-  
re licet iniurijs, multaq; violentia, tum in res sacras,  
tum in homines ipsos, qui curæ, & administrationi  
sacrotum præsent. Quodque argumento esse pos-  
sit, cordi fuisse ei, vt caeteræ quoque vrbes alienaren-  
tur; reperio Temacoldum quendam apud Laudem  
Pompeiam ex pistore familiarem Vistarihorum,  
deinde proditorem, vrbe capta illa, scripsisse illico ad  
Monfortium hunc, vt mitteret auxilia sibi ab Medio-  
lano,

lano, quibus tueri Caesaris nomine urbem posset aduersus Romanum. Flexit postea Bauarus animum suum ob Castrucij Castracanis preces, vt mandaret e custodia captiuos dimitti. Lucae princeps, erat Castracanis, qui super assidua postulata de captiuorum salute, defectionis etiam metu Caesarem perculerat. Eo nimirum metu sunt dimissi, haud tamen sine grandis pecuniae pactione, quae seuerè deinde exacta est & per numerata ad teruntiam; ipsiq; fratres in Hetruriam ad Caesarem vocati. Galeacius egregia militari fama, & fortuitis idem ornamentis eximius, in itinere, moerore est absumptus, secuta interpretatione, extinctum fuisse iuuenem Caesari ipsius dolo. Caeteri, cum ad Brauarum peruenissent, non procul a captiuis in aula habebantur, custodibus appositis, qui verba & suspitta & vultus incessusq; singulorum disimulanter obseruarent ceu scriptores annalium, & satellites iidem ad retrahendum expediti si quis vnus vestigia paulo longius moueret; & Galeacius cum iuuenis fama, recenti sui casus exemplo terrebat fratres. Aliquanto postea rei bellicae necessitates, & Castracanis eiusdem arma impulere Caesarem vt etiam Mediolanum redire Vicecomes pateretur, ibique, Vicarium esse suum Azonem iuberet. Sexaginta millia Florentium ei rei pretium fuere; quae pecunia dum expeditur vniuersa & affertur, Marcus Vicecomes inimicus, & accusator antea fratrum suorum, postea rebus aduersis ad misericordiam euictus, apud Caesarem obses fuit. Ac si cui, neutra in parte modus est vllus apud regios animos,

mos, onerare miseris, siue beneficiis extollere domum aliquam instituerunt, tam effusus nunc Cæsar in Vicecomites eisdem, quàm antea sacuus, & atrox, allenatam semel ex calamitate gentem adiuuabat modis omnibus, ut ad fortunam resurgere possent eâ ex qua direpti violentia ipsius forent. Ioannes Galeacij frater erat ex templi maximi Canonicis, ut memorauimus, quo non contentus ordine, maius, ampliusque illud appetuerat olim, ut in Cardinalium numerum cooptaretur; id familiae, in qua natus esset, id splendori etiam suo tribui æquum censebat. Verùm, quia nondum assequi recta via ordinem eum potuerat, qua posse videbatur via, statuit assequi, vsusque opportunitate, & indulgentia hac noua Cæsaris erga domum suam, tenuit commendatione fauoreque eius, ut Cardinalis fieret ab Nicolao, qui Bauari opibus contra Ioannem Pont. Max. excitatus turbabat cuncta peruerso & adulterino pontificatu. Tradunt alij, Cardinalem Ioannem, emisse quidem praesenti pecunia eam dignitatem, sed ipsi Bauaro, non autem Nicolao pretium esse persolutum. Quippe laborantem, uti dictum est, rei pecuniariae difficultate eum, dedisse necessitati suae, & precibus amicorum, ut quando restituisset in patriam honorèque Vicecomites, nouum etiã adderet hoc decus. Ita hominem Nicolao commendasse absque repulsa cooptandum in Patres; pro eo conuenisse ut totidem millia Florenorum ab nouo Cardinale repraesentarentur, quot paulo antea millibus reditum in patriam, ipse fratresque emissent. Neque

mirari

mirari oportet suffecisse domum hisce pecuniarum erogationibus etiam in ipsa exsiliij calamitate, intuentes scilicet magnitudinem vrbs, in quam dominata esset haec familia, in quam dominari pararet rursus. Additur Cardinali huic Ioāni summa per Insu- briam potestas, Legatusque Pontificis appellatur, quæ tam sancta iustaque erant omnia, quam etiam Pontifex ipse iustus, & sanctus, neq; diuturna, sicuti demonstrabitur, fuere. Nunc quasi Imperium vere Pontificium illud, eaque legitima potestas esset, ita pro Apostolicae potestatis iure sacris rebus Cardina- lis Ioannes aliquandiu sese immiscebat. Ac reperio, scriptas ab eo litteras esse, queis Mediolanensem Ec- clesiam affatur, vt princeps, itemque de noua sua di- gnitate litteras alias separatim; et quemadmodum à Domino suo Papa, (id enim verbum vsurpauit) Car- dinalis Legatusque factus esset. Litteræ ipsæ sunt da- tæ Pisis; annus, & mensis, & dies addita; erantque inscriptæ Dominis viginti quatuor viris administra- toribus Reip. Mediolanensis amicis carissimis. In iisdem Litteris erat, Azonem suum nouo Cæ- saris munere Vicarium esse renunciatum. Nondum enim ipsi Mediolanum redierant, siue detenti per ali- quot dies obsequiis, & adulatione erga Cæsarem, siue ob eam morati causam, vt vno tēpore Vicecomites duo, potestatem alter nomenque Cæsaris ferens, al- ter potestati, fastigioque Regum, (si verus esset honos purpuræ) æquiparatus, venirent. Venere circa Februa- rij mensis initium; & interea dum Mediolani pompa adorna-

adornatur, ad MODOETIÀ substitere per aliquot dies,  
dein exulta in triumphi modum vrbe aderant. Nul-  
los tamē reperio Clericorum Ordines processisse ob-  
uiam, quia scilicet factum ab falso Pontifice Cardina-  
lecta, vt credere velim, abominabantur. Id vtique no-  
tasse debui, quia, cū MODOETIAM antea proficiscerē-  
tur, totū eum cum populo Clerum obuiam fuisse  
scriptores retulerunt, nec tale quicquam in describen-  
do ad Metropolitim ingressu. iidem addidere. Per hunc  
modum restituto Ciuitatis regimine, cui Mediola-  
nenses vtcunq; iam assueuissent, Cæsare absente, Vi-  
cecomitibus post grauem casum ad neuæ fortunæ  
principia mansuetis, & modestis, si non tota quies, cer-  
te nec turbulentia extrema Mediolani erat; Monfor-  
tioque, etiam illo digresso ab Vrbe, violente minus  
agitabantur sacra falsi Pontificis studio, cuius propu-  
gnatorem acerrimum eum fuisse demonstraui. Non-  
dum annus exierat ab reditu Vicecomitum Vrbeque  
in pristinum statum tēdacta, cū male gerenti in He-  
truria rem Bauaro, negotijsque illic admodum infi-  
dis tetigerat animum terræ Insubriæ memoria, & re-  
dire cupiebat huc, oblitus vt opinor, quale sui deside-  
rium in terra eadem reliquisset. Siue memor potius  
erat, & quemadmodum deposuerat ipse omnem ex  
animo fortasse offensionem, ita placatos esse animos  
aliorum credebat, quos perculerat nece proximorū,  
& exilij malis, & pecuniæ fortunarumque damno,  
quos è summo detractos loco miserat in vincula,  
quibus dederat venenum, struxeratque simul veneni  
crimen.

erimen; quorum denique animos terrore mortis, & excidio domus, & peremptorum fratrum exemplo torserat acrius quàm si corpora ipsa peremisset, ne superstites inter regia seuitia extra patriam traheretur. Hæc fortasse meminerat Bauarus illata ab se mala Vicecomitū domui; sed quia malefacta deinde beneficijs emendarat, ideo cessisse priora postremis, præsentisq; iucunditare fortunæ veterem olliterarum esse sensum autumebat. Atqui non ea plerunq; moderatio animi humani est, qui repetens ab ipsa etiam oblivione voluensq; iras renouat ipse suos impetus tunc maxime cū plane defecerunt. Minima sæpe res, & homo vnus, præteruolansq; forte imago, tactum uereciter uerbum, ceu scintilla aliqua incendia irarum excitauit, quæ restinxerat dies, oppresseratue gratia secuta offensam. Vicecomites autem isti, quoties ipsi se se numerarent, fratres abesse sibi duos iniuria Caesaris uidebant. Et quantulum abuisse, ut ipsi quoque dum carcere detinentur, dum sequuntur inimicam aulam perirent inter quotidianos cibos eodem relo? Quod euassent, quod spirarent, Castrucij esse beneficium, neque gratuitum id, sed emptum auro, expressumq; amici illius armis. Purpura uerò interdum etiā ipsa tordebat profani Pontificis munus, idq; multarum mercium aestimatione ac pretio repensum. Ob hæc, occurrente animis dolore & ira, sæpius iniurias quam beneficia Caesaris reputabant; cumq; de illius consilio ac cupiditate redeundi suspicati quippiam essent, parabant se se ad prohibendum, eoq; apparatus

mites



mites & blandi erga ciuitatem erant. Simul irritus Nicolai pontificatus vanaq; illius authoritas abolebatur, exolesebat; sanctior veriorq; firmabatur alter, vt nouo certamine imminente, paratae aduersus Caesarem Cleri etiam & Ecclesiae opes forent. Inde Metropoli rebusque Ambrosianis adimebantur flagitia & labes, quae Vicarius antea Monfortius, & praesens cum exercitu Caesar, totaq; ea in Sedem Apostolicam coniurata factio imposuisset. Statuerat Caesar ad Modoetiam agere quod temporis moraturus in Insubria erat; ac de consilio eo iam ad oppidanos illos fuerant perlatae litterae significantes, hospitum fore grauem nemini, potiusque commoda & honores additurum Reip. ipsorum, qualia vel olim munificentia & liberalitate Caesarum accepissent. Quod vbi compertū Ioanni & Azoni Vicecomitibus, mittunt ipsi Modoetiā Bonninum Mantegatium, & Paganum Mandellum; atque per eos monent hortanturq; Modoetienses, vt si saluam esse Metropolim, si salui ipsi esse velint, ne recipiant oppido Bauarum, dolos & artes, perfidiamq; eius in amicos proponunt; se vicissim parata in id instructaq; habituros esse omnia, vt ab vrbe intercludatur. In id hac data fide & accepta, simul ad Modoetiam, simul ad urbem munita quaecunq; nouerat illa aetas Bauaro aduentanti opponebantur. Ille relicto in Etruria Episcopo Arretino, quē Mediolani antea coronationis impię participē fuisse demonstraui, reuersus in Insubres, cū ad Padi ripas peruenisset, sensit in hostico

se esse. Navigium namq; nullum traieciendo flumini  
repererat, pontonesq; ad certa loca publico sumptu  
parati semper aliâs in viatorum traiectus, nunc appa-  
rere desierant. Id suspicandi principium, & pacati  
nihil ea res ostendebat. Traiecere tamen aegre re-  
pertis vadis equites; ceteri coniectis in vtres vesti-  
mētis, siue prompta ad id materia fabricatis alucis in-  
formibus, qui aquae vtcunque innare possent. Quò  
magis deinde procedebat exercitus, eò infestiora om-  
nia reperiebantur. Nihil pecoris, aut frumenti, reli-  
quiae commeatus in agris; & homines ipsi commi-  
grauerant in vrbes munitas, vt vasta desertaq; cuncta  
tamquã infestissimo venienti hosti relinquerent. Atton-  
nito sic agmine Caesar attonitus ipse progreditur,  
etiam percussus magnopere hoc ipso, quod ab Vicario  
suo Vicecomite nullos interea occursum, inuitationemq;  
nullam, honorificum aut hospitale nihil adesse  
videbat; profectò rebellionē, vltionē, duellum, pericu-  
la adesse; & serò iam ipse cōsiderare ceperat capita-  
lissimas in animo humano recordationes iniuriarum,  
maleq; vllis meritis iniri gratiam homine ab illo, quē  
olim oblitus gratiae meritiq. omnis infectatus fies.  
Dubitandi finis fuit, vbi balteares funditoresq; aliquot  
Italici generis, quos in exercitu Caesar habebat, digres-  
si agmine transfugere Mediolanum; & quotidie Ger-  
manorum etiam aliqui illuc ad stipendia opulentiora  
ibant. Obfirmauerat tamen Bava rus animum in eam  
sententiam, ne stringeret gladium, priusquam ab Mo-  
doetia sese exclusum videret. Igitur ab Laude Pom-  
peia

peia ( regione enim ea retenderat ) citato profectus agmine Modoetiam, exhorruit illico, non ob claufas tantummodo portas dispositosq; in moenibus armatos, sed etiam, quia intumefcente repente Lambro flumine ob immodicos imbres, & extra ripas diffluente quantum antea numquam, nullo modo potuit ab ea parte succedere ad arcem; idque apud eos qui tunc erant homines, Baptiftae miraculum habitum est, cuius numine defensum id oppidum aliquando etiam aliàs fuit. Tentatis inde Caefar aliquandiu per colloquia oppidanis, postquam modesti nihil respondebatur, cernens ex eius oppidi munimentis & contumacia, qui animi, quive apparatus ad urbem essent, cōditionem omnem accepturus erat, alicubiq; quieturus se transigere honeste posset. Qua cognita per transfugas animi eius inclinatione, Ioannes & Azo, tributum annum & praesentis pecuniae modicum quid obtulere ei, si, quod antea cōcessisset Vicarij munus atq; potestatem nouo firmare diplomate & abire uellet; extatq; diploma magnificum verbis, inane re ipsa, quia Sedis Apostolicae hostis, praueq; coronatus & anathemate illigatus Caefar ille erat. Ceterum ea res, quod Bauarus ab urbe reiectus fuisset, Pontificem Ioannem Metropoli Vicecomitibusq; placare coepit; atq; id fuit initium auferendi turpia vincula Clero Ecclesiaeq; Mediolanensi, queis ad eum diem adstricta ciuitas tenebatur. Inchoata quin etiam eiusmodi reconciliatione, Cardinalis Ioannes abdicauit se ultro dignitate fallā, riteq; ac iuste nominis eius;

dem honorem à vero Pontifice impetrauit, & Nouariensis insuper Episcopus ab eo est creatus. Per haec & alia fortunae incrementa Vicecomes excitatus rursus; & firmatâ nouis opibus potentiâ excoluit Azo urbem operibus, quorum magnificentia ne nostrae quidem aetati sine admiratione fuit. Neq; profana tantùm illi curae erant. In Palatio, quae nunc Regia est, D. Gothardo aedem posuit, secutus id nomē eamq; religionem, propterea quod magnis ipse articularum doloribus laboraret. Templum autem ipsum ornauit sanctorum reliquijs, & omni sacrae supellectilis apparatu, non ad vsus modò quotidianos, sed ad magnificentiam quoq; & splendorem. Ac, ne qua hominum iniuria, quantum in praesentia prouideri posset, noceret ei sacrae supellectili, quicquam uel auferret, describi singula vasa, & appendi iussit; omniaq; cum suo quodq; pondere & figura in publicas tabulas ex ipsius auctoritate Pontificis relata sunt. Quae quidē literae repertae postea in tabulario Cardinalis Ioannis, & annaliū memoria custoditae, credere cogunt, fuisse Azonē in Ecclesiae rebus magna diligentia & pietate; referamque ego seriē ipsarum, prout extant. Ea est huiusmodi. Azo Vicecomes extracta D. Gottardi Aede posuit ibi argētea vasa haec attribuitq;

„ tépli custodibus corā Omnibeno Cardinalis Ioānis  
 „ biculario, & coram antistite Fratrum minorū. Calicem  
 „ argenteum cū parella pondo marcatū octo, vnciarum  
 „ septem. Calicem alterum argenteum orbiculato opere  
 „ re & encaustico cum insignibus gentilitioq; stemmate

» Sabaudiae Ducum, Vicecomitumq; & Gallurae;  
» pendit marcas treis, vncias sex. Calicem tertium  
» incisa pieratis figura, marcarum sex, vnciarū septem.  
» Calicem quartum opere circinnato. Crucem par-  
» uam inauratam pendente ex ea Christo liberato-  
» re. Crucem alteram e crystallo cum emblematis  
» argenteis inauratis sigillisq; pluribus. Crucem ex  
» electro simili artificio fabrefactam. Formae maioris  
» crucem marcarum XXXII. vnciarum  $\frac{1}{4}$ . totam ex ar-  
» gento ad collocanda altaris mysteria in Tabernaculi  
» formam. Crucem aliam argento solidam inauratam  
» collocandam in ara cum pedamento cymatijsq; & le-  
» unculis quattuor in signia Vicecomitum ferentibus.  
» Sitellam argenteam in aquae lustralis vsum. Acerram  
» argenteam seruando thuri, adolendae arae. Acerram  
» alteram e Crystallo. Crystallinos vrceolos duos ar-  
» gento caelatos. Patellas duas argenteas. Patellam ex  
» iaspide. Candelabra tria crystallina caelata argento.  
» Quatuor argēteos vultus, quos Azo conflandos cura-  
» uit, vt repraesentarent ora virginum inclytarum, quae  
» Vrsula duce amplexae Christi fidem, barbarica tor-  
» menta contempserunt. Praeter haec argentea vasa su-  
» pellectilemq; posuit in eadem Aede Azo multam  
» pretiosam vestem, ad sacra facienda; reliq; singulas  
» Gufredolus Pusterula literis consignauit eo fere ordi-  
» ne quo retulimus. Hoc fere tempore, quo sacram D.  
» Gothardo aedem extruxerat ornaueratq; Azo, Car-  
» dinalis Ioannes. Episcopusq; Nouariae crexerat ani-  
» mum.

mū ad curam cogitationemq; hanc, vt ab Nouariensi Ecclesia ad Mediolanensem transfret. Pulcrum scilicet videbatur, in eadem vrbe regnare familiam eādem vtroque dominatu, si sacra patruus, profana fratris filius administrarent. Et inuitabat occasio iā dudū exulantis Archiepiscopi Aicardi, qui propter factionum certamina nunquam in sua considere sede potuisset. Nec ipse fortasse iam magnopere venire in urbem curabat, in qua domus eadem auctis opibus dominaretur, cuius potentia fuisset exclusus. Agitata res per idoneos homines, cōmunesq; amicos ita conuenit, vt Ecclesiae commutarentur, traderetq; Ioannes Aicardo Nouariensem; hic Mediolanensem Ioanni, pensione interposita mille florenorum nummū. Quae pacta conuenta cum Pont. max. rata habuisset, Aicardus Nouariam, Ioannes Mediolanum, alter auctus honore, alter diminutus, concessere. Venienti Mediolanum Archiepiscopo Cardinaliq; Ioanni obuiam egressi Ticinensi Porta sacri ordines certauere gratulatione & pompa cum nobilitate populoque vniuerso, & Azonis ipsius aulā, quae diei laetitiam eius effusissime concelebrauit. Is autem dies fuit ad XIII. Cal. Febr. anni CIO CCCXXXIV. Quo die Aicardus etiam ab Nouariensi Clero populoque, est acceptus. Extruxit Archiepiscopus Cardinalisq; Ioannes proprias sibi aedes, quae postea domicilio Canoniorum attributae fuerunt, & via hodie interiecta ab regia dirimuntur. Regiam ipsam Azo aedificauerat, qui etiā propugnacula mutulasq; addidit moenibus

nibus vrbis, & pomoerium, hoc est, omne spatium circa muros, ab omni alio aedificio vacuum fecit. Restituit idē Marianae Aedis turrim vetustate collapsam; induxitq; aquas in urbem, quae per Nilum & Cloacam maximam Iutulentae hodie & sordibus inquinaetae decurrunt. Ferme sub eos dies, quibus permutatio Ecclesiarum facta erat, veneratq. Mediolanum Archiepiscopus Vicecomes, mortuo apud Auenionem in Gallia pontifice Ioanne, suffectoq, in eius locum Benedicto, Canonici Modoetienses in spem venire, posse ab hoc pontifice, vel propter inclytā ipsius pietatem, vel ob noui sumiq; honoris gratulationem impetrari, vt referri Modoetiam eius Basilicae thesauros, qui Auenione adseruabantur, iuberet. De ea re, primum omnium retulere ad Cardinalem Archiepiscopumq; Ioannem, eiusq; opem implorauere. Nimum diu verustissimae religionis Basilicam caruisse ornamentis illis; squalere sacros parietes; imminutam esse populi pietatem, templi quoq; cultum; & sacerdotes ipsos minus alacriter iam, & minus religiose conuenire ad canendas preces, quia sanctissimi sui tutelaris monumenta illa esse apud alienos ingemiscant. Ne tutelarem quidem ipsum arbitrari perinde atque olim adesse sibi propitio ac praesenti Numine, quia spoliatam esse Aedem sinant thesauris, propter quos antea inuisebatur. Potuisse, dum belli tumultibus Italia permisceretur, ferre desiderium, atque thesauros ibi sinere esse, quò minus peruadere licentiae militaris posset. Nunc pacatis omnibus, et reddita per

Ita.

Italiam securitate, aequum videri, vt restitatur etiam  
Modoetiensi Basilicae suum decus. Haec, et alia, cum  
exposuissent Archiepiscopo Ioanni Canonici Modoe-  
tenses, peterentq; vt legationi, quam super ea re mis-  
suri essent, vellent autoritate sua ipse addere honorem,  
annuit libens, suoq; & principis Azonis nomine ire,  
legatos iussit. Iere ex Collegio, Gratianus Arona, &  
Franciscus Liprandus cum litteris ad Pontificem, vt  
sciret Canonicos esse Modoetienses ipsos, & petendi  
thesauri causa missos ab Archiepiscopo simul, & ab  
Azone principe, & ab suo ipsorum collegio. Addita  
supplex obsecratio, vt beatissimi Pontificatus initio,  
Christi Vicarius annueret piorum hominum votis, &  
thesauros, quibus tamdiu caruisset inclyti nominis Ba-  
silia, referri illuc, vnde per iniuriam ablati essent, vel-  
let Alteras quoque litteras attulere ad principes aulae  
viros, quò faciliores apud Pontificem aditus inueni-  
rent; & Ioanni praesertim Cardinali Columnae com-  
mendabantur. Is Canonicos ad Pontificem introdu-  
xit, exposuitq; quid petentes venissent. Benigne sunt  
auditi; sed responsum, verborum comitate magis  
quàm exitu rei gratum acceperunt. Haec enim ver-  
ba Pontificis fuere; velle se quidem, vt thesauri, quo-  
rum causa venerit honesta & sacra legatio, restituan-  
tur in suam sedem; sed nondum maturum eius rei  
tempus aduenisse. Fore se in tempore memorem co-  
rum postulati, litterisque Vicecomitum benigne res-  
cripturum. Ea cum dixisset, dari sibi litteras iussit  
continentes publicam autoritatem & actionem,  
qua



qua thesauri olim ipsi traditi, & depositi apud An-  
sistitem Canonicosq; Templi maximi Auenionen-  
sis fuissent: Cùm traditæ essent litteræ, Canonici  
pro re ipsa spem incertam ferentes rediere domum.  
Anno sal. Clj. CCCXXXV. legatio hæc ierat redie-  
ratq; Anno, qui sequebatur, Archiepiscopus parva per  
Luchinum fratrem ad Parabiagum victoria, po-  
suit in loco prælij nobile templum D. Ambrosio  
parenti vrbis; eiq; templo ex Victoria ipsa cogno-  
men fuit, & instituit, vt Decuriones vrbis cum  
Præfecto quotannis mitterent ad id templum am-  
pla dona, quæ monumento essent, præsentî Diui  
eius ope seruata vrbem. Memorant, in medio  
pugnæ eius ardore, speciem quandam obuersa-  
tam esse omnium oculis, tamquam D. ipsum Am-  
brosum equo insidentem flagelloque insequen-  
tem hostes viderent, eoq; terrore contrariam aciem  
esse dissipatam. Azo postea ipse moritur in me-  
dio ætatis flore, non sine sacrorum etiam ordinum  
luctu propter vnicam eius viri religionem, & be-  
nificum largumq; animum erga res Ecclesiasticas,  
quas pari cura cum Ioanne Archiepiscopo tutatus  
fuerat. Sepultus est in ipsa D. Gottardi Æde, quam  
sui Principatus initio ad orientale Palatij latus ex-  
citarat. Ac ducente funus Archiepiscopo patruo,  
Clerus adfuit vniuersus, neque vocatus ille, vt  
adsolet, sed vltro effulsit erga principem studijs, &  
pietate in eum, qua funeris etiam horas, vt fama  
est, anteuenerunt. Per Vicecomitis huius tem-

pora Mediolanenses bellum gessere cum Ioanne Rege Boemie qui Tridento ab Vrbe Brixiam in Cenomanos cum descendisset, peregrini nominis fauore, & nouarum rerum illecebra quadam apud inuictos, pleraque Insubrum adiunxerat sibi, & repentinus prope ille Longobardorum Rex aliquandiu erat. Aduersus eum Regem cum Scaligero, cum Estense cum Gonzaga foedus initum; diuisę foederis lege cum regulis vrbes, quę Metropoli, quęcuc parti alteri victoriae præmium forent; Bergomum, & Cremona, & Vercellae, & Placentia, & Laus Pompeia, & Brixia, & Comum, deiecto barbaro, casibusue, & pactonibus alijs in ius ditionemq; Mediolaneusum redactae: Nec sine clade exercitus nostri cum eo hoste dimicatum; Teutonęque interea ipsis aliquando mœnibus vrbis institere. Quae omnia, cum auspicio consilijsq; Azonis administrarentur, clarum eius nomen etiam apud externos fuerat; & quando caput huic vrbi esse vnum oporteret, rerum ei summam permiserant haud illibenter. Fortuna Principi, sicut publice laeta, ita improspere priuatim fuit, ob domesticos hostes, Ludricum, & Marcum; quorum ille, post conceptas semel in patruelis fortunam iras, manserat implacabilis, & collectitij ductor exercitus irrumperere in vrbem tentarat; hic florenti domui infestus, dein ob Cæsaris iniurias adducto ad misericordiam animo, rursus, postquam laeta redierant, atrox, non tam imperio, quàm vitae fratris erat insidiatus. Et vterque, reru exitu infelices, captiu<sup>9</sup> alter ad Parabiagũ in prælio, alter

in-

in tentati sceleris poenam ex palatij fenestra praecipitatus, lugubrem ei principi de suo sanguine victoriam exhibuere. Etiam fenestram aliud sui sanguinis flagitium dedecusque viderat Azo, ortum ab Marci eiusdem libidine simul & saeuicia. Namque is, Bicia Othorini Vicecomitis patruelis sui vxorē cū ad se pellexisset, inclusamque ad Rosatum arci subdidisse sibi partum comperisset; ipsam, & infantem, & furti ministram ancillam deiecerat è fenestra in fossam castello circumiectā; idq; incestuosum, & crudele facinus principē affecerat moerore. Nam praeterquam quod erat ipsē natura inimicus omnium inhonestarum rerum, etiam impositam ab Bicia illa impudica labem familiae, suae videbat. Agebat octauū trigésimum annum Azo tunc cū est mortuus, communi statura, crispante capillo, iucundus ad spectu facie vergente ad rotundum, si numismati fides, quod illa scribentes ante oculos habebamus. Postquā Azo nulla relicta liberū stirpe decessit, non dubitauere Decuriones & principes vrbis Mediolani, quin regimen arbitriumq; rerum ad Ioannem Archiepiscopum deferrent; fratremq; ipsius Luchinum imperij collegam nominauere. Sed Ioannes Luchino permisit omnia profana, statumq; ciuile voluit in eius esse potestate; sibi satis graue onus Ecclesiae gubernationem esse aiebat, & crebrae voces illius audiebantur. Non esse mentem vnus tantae molis capacem; male coniungi sacra cum profanis, & fratrem Luchinum melius Reip. munia diuisis rebus executurum. Haec

verba Pontificis erant; caeterum non abstinuit, quominus, & consilio, quandocunq; res ferret, & auctoritate adiuuaret Luchinum, imperiumq; commune duorum fratrum fuit. In quibusdam etiam annalibus, omissa Luchini mentione, perscriptum Ioannis principis, & Archiepiscopi nomen inueni. Contaminavit huius initia principatus Insubriamq; fere totam simile monstrum ei, cum infamis Gulielmina sanctitatis opinione alliceret mortales, stuprisq; & adulterijs illigaret, idque flagitium, Archiepiscopi Ioannis prouidentia, consilioq; & auctoritate discussum fuit. Corigiosirda est in Cremonensium finibus vix noti nominis pagus antea, sed malae famae post vnus feminae scelus, quod memorabo. Adolescentula ibi quaedam loco nata obscuro forma fuit eximia, totoq; corporis habitu, & gratia morum ac venustate, quales corporis animiq; dotes in agresti illa nobiles etiam feminae cum inuidia & admiratione sermonibus ferrent. Auxerat hanc sui admirationem honestatis famam, & famam mox alia, tamquam perraesa excelso animo cupiditates & vota feminarum aliarum, nouis sese votis obligasset, atq; virginale decus in magno expectentium sibi tale matrimoniū ambitu, seruare intactum veller. Adspernata muliebrem mundum, quem parentes laeti virginis indole & forma, supra fortunam etiam praebabant, coeperat vti cultu atro & exoleto, psallere domino nocturnis horis; nouis macerare ieiunijs corpus; rarus sermo nisi de rebus diuinis; vno verbo, sanctimoniae exemplum perdita adolescenten-

lescentula erat. Et cum ita viueret, non forma, non decor pristinus ille elanguerat. Credidere vulgo, non fuisse ea simulata imitamenta sanctitatis, & celesti fortasse flamma tactum illud simplex initio purumq. pectus exardescere sic ad veram pietatem. Ipsa interim illigata occulto sacrilegio clerici vnus, impure scelerateq. agebat, & aliquandiu nihil aliud inter eos, quam flagitiosa consuetudo stupra erat, nihil tale suspicante hominum fama. Postea, fatierate ac raedio sceleris eius, vel quia feliciter latebant, nihil iam artibus esse suis imperuim existimantes, impura mulier cum Clerico impuro prodire velut uitae sanctioris auctores in publicum decreuere. Progressu audacter, compositiq; palam ad omnem imaginem seueritatis, in arcano viuentes arbitrata suo, concionantesq. passim effecere asseclarum ad decem fere millia. Hi nihil honesti priuatim agentes, in hominum conspectu verberabant sese, ac seminudis incedebant; & societas illa officina scelerum omnium erat. Late peruagati caeteras Insubrum vrbes, in Metropolim quoque penetrarant, & magne generis eius corruptelae Mediolani iam fiebant. Disiecta sunt ea quoq; bacchanalia per Archiepiscopum Ioannem, & eius monitu Cremonensium Episcopus impurae sectae aucthores in vrbe sua comprehensos damnauit igni. Principum postea virorum precibus ei poenae fuisse ereptos memorant. Eodem tempore scelus aliud Mediolani exitit insidiantium vtriusque principis vitae, quorum exitus fuit eiusmodi, vt in-

gemisce.

gemisceret Ecclesia pertinacia eorum, & furori, cū quo addictas sempiternis ignibus animas inter supplicia corporum efflauere. Numquam enim, cū tormentis lacerarentur, adduci potuere denuntiatione vlla, precibusue, & solitis hortamentis, vt salutare Christi nomen pronuntiarent, siue ut erigerent animum, ad futurae vitae cogitationem, qua obstinatione meriti sunt, vt post supplicium inhumati laniamenta coruis relinquerentur. Franciscus Pusterula erat fauore Vicecomitum prouectus ad opes, quas non facile Mediolanensium ullus aequaret; & parem opibus in aula gratiam autoritatemque obtinebat. Hic, siue offensione accepta aliqua, siue, quia satietas, & deinde odium capit etiam aulicos homines, cū a principibus suis omnia acceperunt, non minus profectò quàm principes ipsos, postquam omnia dederunt; hic igitur, Vicecomitem tollere vtrumque agitauit, & sacram profanamque, aulā vacuam dare, si destinata prospere successissent. Fratrem habebat nomine Iulianum consilij huius participem, & pro necessitudine ac caritate fidum sibi ad omnia sicut ipse arbitrabatur. Per eum adiungit sibi Galeacium & Bernabouem, & Pallam, & Martinum Liprandos fratres; Borolum quoque Castelletum & Beltramolū Amicum, auctos item omnes Vicecomitum eorundem beneficijs, & post beneficia nihilo amabilius cogitantes. Hi simul omnes coniurauerunt vt principem vtrumque interficerent, & nihil iam aliud quàm idoneam tanto facinori occasionem expectabant. Interea,

rea,

rea Iulianus, incertum, leuitate animi, an erga Principem, fide, an verò etiam à fratre offensus, rem aperuit Alpinolo Casato, hic Ramengo fratri, & statim res coepra diuulgari. Quòd vbi Franciscus ipse coniurationis princeps, negotium ire per ora hominum sensit, sublatis repente rebus aufugit. Postquam ille non cõparebat, Alpinolus, & Ramengus, id quod antea reticuerant, deculere vltro ad Vicecomes; petita prius venia, ne sibi fraudi esset quòd de ferre cunctati essent. Ita coniurati reliqui, misso protinus milite prætorio comprehenduntur, atque conijciuntur in vincula, primoque tormentorum adspectu rem confessi, reductis in publicum bonis, fame perimuntur, quae supplicij foeditas adspernisse Ioannis Pontificatui labem est visa. Et hi quidem, Christiano tamen ritu expiatis animis, inter lentae mortis spatia non periisse morte altera crediti sunt; Franciscus Pusterula cum filijs duobus deprehensi apud Pisas, & Mediolanum raptati aeternum perire, cum diuinarum salutariumq; rerum mentionem omnem inter supplicium adspernati essent. Alij, non Pusterularum hanc fuisse calamitatẽ tradunt, sed Beltramoli cognomine Amici, qui fuit unus e coniuratis. Hic propter exeteram suam indignitatem, sordidumq; genus, à principe Luchino reseruatus in carnificinae ministerium cum lancinasset strenue corpora nobilium virorum, praemium nauatae operae id expectarat, desponderatque sibi, vt saluus ipse dimitteretur. Sed principes multa simul in illud vile caput asperabant; sordes ho-

minis.

minis, male collocata in eum beneficia; pudor ob nutritum domi proditorem, & quod eum ab cellae vinariae doliorumq; praefectura productum extulisset in aulam, ibiq. mutata veste baiulum consilij ac negotijs immiscuisset; qualis infania, dominantiu, neque tunc coepta est spectari, neque desita. Tot simul indignitates, & suae deniq; sensus indignitatis in eo extollendo homine accenderant Vicecomiti animum, vt postquam carnificem eum fecerat infamaueratq. spurco ministerio, carnificis etiam alterius manu suspensum iniectoque; pede praefocatum exhibere populo statuisset. Addita insuper proditori baiulo ignominia, quae gratissima spectantibus fuit. Ad furcam, quae posita ei separatim extra urbem stabat, traxere illigati asini toto colligentem corpore coenum, & sordes, per quas trahebatur, incussoque, & deuoluto per saxa capite cruentantem vias. Caeterum, ego non affirmauerim, supplicij ne acerbitate illa, an impia stoliditate contumaciaque hominis factum fuerit id quod non sine maestitia, & horrore ego referam. Memorant perstitisse in eo, vt ab Sanctae Crucis ad spectu proterue rictum auerteret, ingerentesque sese hortatores coespuit sub ipso carnificis pondere, cum ab eo calcante humeros damnata orco anima exprimeretur. Quod portentum abominati Magistratus vetuere tumulo inferri cadauer, vetuere deduci paribulo, pependitque inde, donec ipsa dies, & pabulis eiusmodi volucres assuetae absumerent quod pendebar, quodue fluebat in terram. Punita in hunc modum con-  
iuratione,



iuratione, minime tamen laeti Vicecomites erant, teterq; & horrendus exitus Beltramoli Amici ceu prodigium aliquod ciuū animis haerebat. Plena vrbs timorum & suspicionum, tum apud principes, ne pars minima insidiarum detecta esset, tum apud coniuratorum propinquos, & necessarios, ne participes fuisse consiliorum existimarentur. Suspenfamq;, & sollicitam ita Ciuitatim insuper moeror ille aggrauabat, quòd inchoata quamquam, vt dixi, post reiectum ab Vrbe Bauarum, reconciliatione cum Pōtifice maximo, nondum tamen ea res perfecta erat; nondum absoluta Ciuitas interdicti pœna, quam Pontifex Ioannes ob admissas aemuli Nicolai temporibus culpas inflixisset. Vercellinus erat ex Vicecomitum genere vir pius, nec vlla sui parte indecorus domui, quae iam patriae sese dominam secisset, quamue sacra nunc, & profana omnia praesidem & moderaticem intuerentur. Moerens iste gemensque tali rerum statu petijt ab Archiepiscopo Ioanne, vt ad Pontificem Max. legati de absolutione mitterentur. Missi sunt Gulielmus Calix, & Leo Dugnanus, & Massinus Sampson cum precibus huiusmodi. Ne Christi Vicarius Metropolitim Ambrosianam, & Vicecomitum domū temporum necessitate prolapsas, diuino nunc beneficio resurgentes ad obsequium, pro paterna sua erga omnes benignitate repudiaret. Si contumacia coacti aliena deliquissent fortè aliquid, tanto promptioribus animis obediendo & obsequendo, id ipsum esse correcturos. Pontifex max reconcilianda tantae vr-

D d d

bis

bis occasionem amplexus, de ea re ad Senatum retu-  
 lit. Patres relationem accepere laetis animis; factumq;  
 decretum de pace cum Vicecomitibus ineunda resti-  
 tuendaq; Metropoli in veterem sacrorū vsum, & pia-  
 cula dicta vrbi sunt hisce uerbis. Populus Clerusq;  
 » Mediolanensis, & corporis vtriusq; principes, propte-  
 » reaquod publico consilio descuerunt ab Ecclesiae Ro-  
 » manae auctoritate, Bauarumq; Sedis Apostolicae re-  
 » bellem, & Pseudeopontificem Nicolaum propugnare  
 » aliquandiu voluerunt; numquam amplius talia esse  
 » facturos promittunt, & quicquid antea commiserunt,  
 » errore humano, & improvido casu, violentiaq; impe-  
 » ritantis esse commissum quāsanctē affirmant, &  
 » Pont. Max annuit paterna sua clementia, & facilita-  
 » te, vt ea sicuti dicuntur, credat. Id vt manifeste con-  
 » stet apud eos, qui nunc sunt homines, alij sive post sae-  
 » culis erunt; iubet hosce Mediolanenses extruere pu-  
 » blico sumptu sacella duo, quae poenitentiae obsequij  
 » que ipsorum erga Sedem Apostolicam sempiterna  
 » monumenta esse debebunt. Ea porrō sacella dicabun-  
 » tur D. Benedicto & extruentur in Diui Ambrosij  
 » Aede: annuis ad sacra faciunda vesticibus in-  
 » struentur: Sacerdotes vtrumque suos habebit: an-  
 » niuersario D. Benedicti die res diuina fiet ad ea sacel-  
 » la solenni ritu, eiq; Sacro Praefectum vrbis aliosq;  
 » Magistratus interesse oportebit. Eo die duobus  
 » millibus pauperum benigne fiet Reipub. Mediola-  
 » nensis nomine; singulos panes singuli accipient;  
 » vnciae duodenae tritici singulis panibus inerunt.

Haec

» Hæc omnia si faxint Mediolanenses; tum verò, sicuti  
» maiores ipsorum, cari filij, & serui fideles Apostoli-  
» cae Sedis erunt. Facta omnia, sicuti Romanus im-  
perarat, Ecclesiaeq; Ambrosianae pax data. Ponti-  
fex quin etiam ipse Benedictus, biennio post, Medio-  
lanum venit, estq; acceptus, nō ea modò, quae Pontifi-  
ci Max. debebatur magnificentia, & gratulatione, sed  
etiam effusiore quodam studio, quasi liberator vrbis,  
& Vicecomitum domui fundator Principatus. Nam  
antea, fluctuantibus, & incertis Ecclesie rebus, impe-  
rium quoque esse incertum, & anceps oportebat.  
Etiam Archiepiscopus Ioannes, licet ab Nouariensis  
Ecclesiae Pontificatu ad Metropolim Abrosianam ri-  
te atq; interposita summi Pontificis autoritate tran-  
sisset, eaq; Vicecomitis cum Aicardo exule permuta-  
tio legitima Ecclesiarum haberetur; nulla tamen de  
ea re publica monumenta, nullumue diploma profer-  
re Apostolicum poterat, & mancus ab ea parte Pon-  
tificatus erat. Datae sunt ab eodem Pontifice litterae,  
quae commutationem eiusmodi sancirent Apostoli-  
cae Sedis nomine, ratamq; haberent. In eo reconci-  
liatae gratiae feruore, spes facta est Archiepiscopo  
Ioanni etiã impetrandi rem antea nequicquam agi-  
tatam, vt scilicet thesauri illi Modoetienses referri il-  
luc possent. vnde ablati olim fuerant; & varijs in alie-  
na terra casibus iactati. Vocatis igitur ad se Canoni-  
cis, Archiepiscopus, cum sua de thesauro recuperan-  
do consilia, Ipemq; de ea re conceptam exposuisset,  
iubet eos perferre ad se exemplum litterarum, quae

D d d d 2 singulas

singulas thesauri partes exscriptas atq. exsignatas continebant, prout scilicet confectae eae tabulae fuerant, tunc cum thesauri ipsi ab Ioanne uigesimo altero Collegio Auenionensi custodiendi traderentur. Postquam attulere Canonici MODOETIENSIS earum litterarum exemplum, subsignauit Archiepiscopus id exemplum sua manu, tabulaeque publicas eiusmodi subsignationis iussit confici per Petrum Vercellensem, qui ipsi A. A&is erat. Has litteras, aliaque commendatitias tradidit Ioanni Baldirono MODOETIENSI, qui profectus Archiepiscopi Municipij sui nomine, sine mora Auenionem, facile à Pont. Max. impetrauit, ut referri MODOETIAM thesauros annueret, eosque anno millesimo trecētesimo quadragésimo quarto, die, qui Sanctæ Crucis inuentioni sacer erat, traditos esse Matthæo Veronensium Episcopo reperi in urbis eius annalibus; ab eo transmissos esse MODOETIAM in eadem arca, in qua conditi fuissent, cum Auenione asseruarentur. Alij, non statim eos esse transmissos tradunt ab Episcopo Veronense sicut retuli; sed Episcopum, postquam sibi traditi fuissent à Pont. Max. misisse de ea re litteras ad Archiep. Ioannem, ut diceret ipse, quid fieri uellet. Archiepiscopi deinde iussu Canonicos misisse Gratianum Aro-nensem e suo Collegio; datas huic ab Archiepiscopo simul, & Luchino litteras, quæ legationi fidē adstruerent, missumque cum eo Guidū Calicē principū ipsorū nomine, quò plus etiam autoritatis postulato esset; legationem hanc Mediolanū rediisse cū thesauris, &  
ad

ad vitanda latrocinia protectionem expectasse legati, quem Pontifex in Apuliam ad coronandum ibi Regem mittebat. Caeterum, siue missi statim thesauri Mediolanum fuerint ab Episcopo Veronense, siue missis Auenionem legatis relati domum, illud constat, Archiepiscopum Ioannem, simul atque arcam in potestate habuerit, unà cum praecipuis e Clero processisse Modoetiam, atq. ibi singulas res in ara maxima collocasse sua manu, prout à ministris ex arca de proprio ordine in manum tradebantur, remq. testato descriptam sicuti gesta fuisset; scribas, Petrum Vercellensem, & Othorinum Niguardam fuisse. Si uelim ego in Ecclesiastico hoc opere praetermittere quicquid Archiepiscoporum principumue posteris, minus fortasse placitum credam, ne honesta quidem, & gloriosa fidem habebunt. Et memorari tristes ambiguo-  
sae domorum casus oportet, ut magna earumdem decora, magnisq. consilijs & virtutibus administrata res cum fide atque auctoritate accipiantur. Perculit enim hoc tempore Vicecomitum domum casus inhonestus, de quo Bernardinus Corius refere proximus memoriae temporum eorum scriptor; referamq. ego, quia notabile custodiendis, matrimonij exemplum erit, & quia calamitas ea perpetuum Archiepiscopo Ioanni moerorem attulisse visa est, ob labem quae sibi imposita per mulierculae vnus intemperantiam videbatur. Fusca Flisca, quam alio nomine Habelam appellabant, erat Luchini principis vxor, nullius quidem antea flagitij comperta,  
sed

sed procaciorē semper cultu, quā honestam matronam deceret; concursatrix eadem et vaga, & amica celebritatum omnium, quod ferme muliebrem malum est. Haec mulier, cū audiret celebrari sermonibus eius caeremoniae apparatus, qua Venetijs sacro Ascensionis die, darentur nuptialia dona pelago, mira cupiditate exarserat visendi spectaculi eius, facileq; ab Luchino coniuge impetrauit, ut cum feminarum aliarum grege illuc usque deportaretur. Elegit ipsa quas voluit ex familia sua, caeteraq; nobilitate multas adultas virgines, & matronas quibus forma virginum duraret, eique mulierum turbae, sexus virilis nobilitas aggregauerat se se, siue erga principis vxorem obsequio, siue iuuenilibus quisque studijs erga muliebrem eum comitatum. Ad Laudem Pompeiā paratis instructisq; nauibus commiserat se se flumini; ac ne singulos exequar muliebris agminis incessus & dedecora omnia; Corii verbum huiusmodi est; dormitasse cum Vgolino Isabellam vxorem Vicecomitis, ceteramq; turbam virorum, & mulierum nihilo honestius inter se egisse. Negotium fuisse tam effraene, & incautum, ut antequam peregrinabunda illa multitudo cum Duce sua rediret domum, nosceret suam vnaquaeq; domus calamitatem; ac postquam redierant, parante Luchino venenum in adulteram suam, anteuertit ipsa maritumq; sustulerit. Creditum id publice dictumq; est; nec caeteri perinde segnes ad vindicandam mulierum suarum impudicitiam fuere; venenique moras adspernati quidam, violenter & palam

Iam exercuere iras. Sublato igitur per adulteram vxoris dolum Luchino, imperium, & summa rerum omnium ad Ioannem Archiepiscopum venit, & statim exacto in ipsius verba Sacramento, cuncta ei obediebant. Mansere autem tunc haec subiectae Vicecomiti vrbes. Mediolanum, Crema, Hasta, Alexandria, Alba, Vercellae, Nouaria, Bobium, Bergomum, Nouocomum, Brixia, Cremona, Placentia, Parma, Laus Pompeia, Haec tunc vrbes Archiepiscopo Ioanni Sacramentum dixerunt; ciuiliaque iam hinc Ecclesiasticis multo magis etiam quam antea immiscebantur vnica rerum serie & contextu casuum, atque consiliorum vno, cum Princeps Archiepiscopusque idem cuncta moderaretur, cunctaque ageret ad regiae propere magnitudinis formam. Transtulerat is sedem in Palatium, cuius vestigia iuxta D. Georgij Aedem monstrantur in hunc diem; inde iura populis dabantur; Metropolis illuc vniuersa spectabat. Ibi tractabantur foedera, societates, arma, ceremoniae, ritusque sacrorum; potentiaque tanta finitimis etiam principibus terrori erat; nec nisi quibus amicitia foedusve cum Vicecomite intercederet, stabilem esse sibi fortunam putabant. Itaque principis Archiepiscopi huius aula, ueluti totius Italiae forum habebatur; ac foedus expetiuerunt cum eo, Sabaudus, & Gebennensis, quae maximae potentiae maximique terroris nomina inter dominantes erant. At Genuenses, antea bellare cum Vicecomitibus soliti, & per id maxime tempus irritatis ad bellum animis, exterriti iam, & attoniti tantis opibus

opibus, per legatos petiere vltro ne rem Genuensem in suam ditionem recipere grauaretur, annuitq. ille & Praetorem, ei urbi dedit. Cetera pari tenore ac felicitate fluebant angendo Vicecomitum fastigio, & regiae fortunae magnitudinem ea domus quotidie magis æquare uidebatur, cum repente dedecus aliud incesfit quale sordidi quoq. penates agricolarum abominarentur, atq; contaminatum quemlibet ea labe principem infra se se despectarent. Namq. Fusca illa Elisca, de cuius mulieris impudicitia memoratum est, siue conscientiae stimulis icta, siue infamiae suauitate, cuius apud ingenia eiusmodi nouissima plerumque libido est, publice profiteri non dubitauit, Luchinum Nouellum, & Ursinam, non sicuti uulgò crederentur, esse Luchini principis filios, sed ex Galeacio Luchini fratris filio, incestuoso congressu prolem eam utramq. susceptam. Id, ut ita esse, æqui & iniqui scirent, publicas tabulas de ea re confici voluit; tale que magnae domus ludibrium vidit aetas illa, et miserata est. Ioannestamen Archiepiscopus, excussâ post aliquot dies dedecoris eius verecundiam, muliebresque ineptias aquo animo ferendas esse dictitans, augere imperium pergebat, & pulsus ab Bononia Populis verbis eius poritur. Ac deducta per eos dies Mediolanum Beatrice Scaligera, quae Bernaboui Galeacij filio desponsa fuerat, per nuptiarum earum gratulationem, abducere conabatur suum aliorumq. animum ab recordatione prioris flagitij, tamquam integra sponsae eius fama, thalami iam castiores, & spes nouae legitimæ



rimæ prolis, sanguinisque veri Vicecomitum incho-  
 harentur. Extruxitque etiam interea D. Mariae Vir-  
 gini Aedem ad Garignanum, assignatis in templi cul-  
 tum fundis quos, & immunes onerum tributorumque  
 omnium esse voluit; eiq. decreto, & actioni Decurio-  
 nes vr̄bis adfuere. Sed ob captam occupatamque  
 Bononiam imminabant Romani Pontificis irac Prin-  
 cipi simul, & vr̄bi; veterumque etiam offensarum re-  
 nouatâ per eam occasionem memoriâ, simul ciuitatē  
 iusserat vniuersam carere communiōe sacrorum  
 & iure, simul iubebat Vicecomitem alterutro regimi-  
 ne contentum, partem omittere alteram, profana, si-  
 ue sacra mallet. Quae mandata ferens legatus vbi  
 Mediolanum venit, primò quidem ille benigne ab Vi-  
 cecomite Archiepiscopo accipitur, & amica erant om-  
 nia, donec ad mandata ipsa depromenda oratio coe-  
 pta est accommodari. Vt verò triste verbum enuntia-  
 tum est, nihil quidem acerbe Vicomes hostiliterus  
 est effatus; ceterùm infenso voluens animo respon-  
 sum, quod re ipsa, quàm verbis atrocius foret, die festo,  
 qui proximus aderat, responsa daturum se ait, quae  
 Pontifici Max. legatus referret. Eo die adesset in tem-  
 plo maximo; velle se ibi coram Patria, & coram Parē-  
 te vr̄bis Ambrosio responsa ea pronuntiare. Statuto  
 die legatus templum ingreditur; ibique Vicecomes,  
 re diuina peracta, quam apparatissime, sacrificiali, sicuti  
 stabat ornatu confedit ante aram, cumq. diripuisset  
 ab latere gladium, quo succinctus erat, altera manu  
 Crucem tenens, dixit, insignia ea suae esse potestatis, &  
 Eccc donec

donec spiritus maneret, cruce gladioq; partem imperij vtramq; defensurum. Iret legatus, & Pontifici suo renuntiaret visa simul, & audita. Visa res indigna Pontifici, nouaque percitus ira, iubet Vicecomitem sistere ad Tribunal Apostolicę Sedis, ni faciat, anathematis pœna damnat adhuc hominem, oneratq; diris & Ecclesie Catholice hostem appellat. Enim vero Vicecomes, ad ea nihil in speciem animo turbato, dixit iturum se vtique, & imperata facturum. Mox duodecim millia peditum, equitum sex iubet esse in procinctu, vt secum eant, maioremq; portò numerum armare pergit. Simul, praemissis Auenionem hominibus suis, qui com meatum aliaq. necessaria expedirent, terruerat eo apparatu Pontificis animum aulãq. rotam, & Auenione, tamquam expectatione noui hostis trepidabatur. Namq. curatores illi, qui praemissi erant, emendo frumenta, conducendoq; aedes, & congerendo in suas apothecas quicquid vsipiam in mortalium alimēta venale prostarer, largeq. per omnia pecuniam effundendo, fecerant annonae penuriã, & praebuerant speciem haud dubie cum exercitu suo venientis Regis. Tunc Pontifex, vocatos ad se Vicecomitis homines interrogat, quantum pecuniæ ad eã diem insumpsissent, illisq. profitentibus quadraginta millia florenorum, rependi ex pontificio aerario summam eam, Vicecomitemque ipsum admoneri iussit, vt ea profectioe supersederet, isque supersedit. Ita liberatus etiam ipse non minore cura, quàm quæ Pontificis compresserat iras, ad vrbis, & imperii

imperij statum, & disciplinam, atque perpetuitatem domi stabiliendam intenderat animum, req; cum Decurionibus vr̄bis communicata, Municipale ius omne Mediolanensium, quod inter tantas Reip. commutationes, tantosq; dominantium, & subiectorum casus prope exoleuerat, restituit, ac promulgauit, parata ei rei quiete haud tamē in longum tempus. Nam sēper postea, corrigere, vel addere aliquid, prout tempora, & res monebant, institūe quibus ea prouidentia in vr̄be, & potestas, saepeque publici concilij auctoritate variata res est, donec auorum nostrorū memoria Ludouicus Sfortia suae domus euerfor, corpus municipalium legum firmavit; alijque post eum etiam principes expoliendo operi curam animumq; aduerterunt. Sed initia iuris describendi nobis ab Longobardorum temporibus manauere, cū scilicet Iustiniani legibus ad eorum aduentum vr̄bi nostrae fortasse ignotis, certe non receptis, darentur ab nouo, & externo repentinoq. dominatu propria quaedam iura, & leges, quae mansere donec id imperium. Eo per Carolum Magnū deleto, Lotharius Imperator praefixit instituitque nōnulla, quae beneficiarias praecipue concessiones, & omnia generis eius iura, terminos, fines, vim, officium, auctoritatemq; continerēt. Inde post vtriusque Berengarij vanas in Italiam impressiones, translatis in Germaniam rebus, dedit quasdam Metropoli leges idem ille qui stravit eueritq. vr̄bem Aenobarbus. Ex ruinis verò illis, postquam assurrexere maiores nostri, constantia eadem, & sapientia,

Eccc 2 qua

qua nouam ex barbarica strage excitare urbem potuerant, iura etiam condidere sibi, nec semel ad id reip. constituendae munus adiecere animos, conferendo pro se quisque in medium quae saluberrima excogitauissent. Ab Aenobarbi sine, libertate usurpata, deinde inter ipsas Vicecomitum Turrianorumq; factiones, decreuere multa, & sciuerere, quae ne secutae quidem repudiauerere aetates, & manent adhuc. Omnia, quae cadunt in hominum vitam statumq; civilem, iudicia, lites, pretia rerum, & mercimonia, culpas, & poenas, & quicquid uspiam in communi consuetudine esse controuersiosum potest, comprehenderunt unico municipalium legum volumine, & capitibus de unaquaq; re editis, inclusaq; in id volumen scenarum cunctarum, quae inter homines aguntur, siue peccantur, contrahuntur, aut ambiguntur, damna, & iniurias, licentiamq; omnem inter se mortalium coercere. Quae coercitiones, & decreta, retenta diu, & custodita, semperque aucta, & amplificata, cum sub Matthei denique filijs prope intercidisset, Luchinusq; etiam nescio quo spiritu ea sustulisset, ab Archiepiscopo Ioanne hoc tempore, sicut dixi, restituebantur. Volebat is ira restitui semel ac sanciri municipalia haec iura, ut abrogari postea tolliq; siue conuelli nusquam possent. Ideo Decuriones urbis exiuit ad singula capita recognoscenda, & inspicienda secum; eadem in octingentorum Concilio proposita sunt; eadem adhibitis ex unaquaq; urbis regione prudentibus uiris agitata, & consultata: Referebant hi ad suos, nec graue principi.

principi, Decurionibusue vr̄bis, Concilioque octingentorum, cognoscere quid super tanta re quisque afferret ac sentiret. Fortasse etiam nobilium familiarum posteris minime aspernati erunt istud qualecunque historiae obsequium, si retulero prudentum virorum nomina, quorum opera, & consilio Princeps Archiepiscopus que idem in ea iuris descriptione est usus. Composuerant primò digesserantque capita, Leo Dugnanus, Signorolus Amedeus, Manfredus Sarazonus. Erasmus Aliprandus, Iacobinus Bossus, Philippus Catiola, Francius Bripius, Iacobinus Vibragerius, Iacobinus Panigarola, Beltraminus Gironus, Ioannolus Paganus. Hi seriem rerum edidere primi cum præfatione tituloque hoc. Quod Deo optimo maximo gloriosum, Reip. Ecclesiaeque Mediolanensi salutare esset, ipsos eam disciplinam, & ea decreta composuisse regendæ ciuitati, rationemque habuisse, ut ex vetusti codicis autoritate, ordineque ac præscripto cuncta moderarentur. Iurisconsulti sunt adhibiti, Laurentius Bernadigius, Aramaninus Alcaninus, Ambrosius Septala, Franciscolus Capra, Astolphus Lampugnani, Franciscus Sulbiagus, Franzus Spanciora, Antoniolus Resta, Ruminus Porrus, Philippus Capellus, Carnevarius Mandellus. Singulariū vr̄bis regionum homines singulares fuere, Tobiolus Aliprandus, Iacobinus, Petrus & Gremolus Panigarolae, Rogerius Ecclesia, Franciscus Osius, Rugerius Biffus, Erasmus Aliprandus, Othorinus Burrus, Guidetus Pusterula, Mafficolus Morigia, Palea Grassus, quisque

quisque Portæ nomen, & auctoritatem ei negotio addentes; & alicunde bini aderant. Et statum quidē, formamque, & iura ciuitatis constituerat hoc modo Archiepiscopus, nulla re omiſſa, quae prouidenda animaduertendaque eſſet; negotia vero externa, ob captam ſicuti dixi Bononiam, haud tam facile conſtituebantur. Et Pontificis Maximi propter eam rem indignatio, hoc ipſo accendebatur, quod repreſſa fuerat tamquam metu, cū nimirum Archiepiſcopus hoſtiles illos apparatus Auenionem præmiſiſſet Apoſtolico mandato eluſo hoſtiliter ipſe ſubſecuturus. Quò magis ille ardeſceret iuſta iura, Bononiã deſpellere Vicecomitem deſtinaret, Florentinorum inſuper aſſiduæ preces & querelæ efficiebant. Nã ea ciuitas, vetere Guelfarũ partiũ aduerſus G. bellinos odio, ſæper inſenſa Vicecomitum nomini, tantam in vicino urbem habere inimicam, certam Reip. ſuae eſſe perniciem putans, non deſiſtebat obſecrare Chriſti Vicarium, vt communem eum hoſtem deijcere inde maturaret. Sed in Pontificia tunc aula erat Auenione Guilielmus Griſans Abbas S. Victoris ex Gallica Vrbe Maſſilia, ſumma apud Pontificem gratia, & auctoritate, qui poſtea fuit Urbanus Quintus. Demonſtrando is magna pericula belli, & difficultates, exitumq; anticipem, tum Pontificis ipſius ad quietã conſilia vertebat animum, tum Florentinorum querelas eleuabat. Eos damnis odijsque ſuis irritatos trahere velle ſecum Apoſtolicam ſedem; non eadem decora Sedi Apoſtolicæ, & populo vni turbulento. Quin potius via ali-

qua

quā commodior iniretur; ac se se interea pacis agitā-  
dæ internuntium offerbat, exitu fortasse meliore,  
quā quo internuntij priores redissent. Itaque Me-  
diolanum ipse mittitur repetendæ Bononiæ, & agi-  
tandæ pacis mandataq. libera afferebat, ut salua Se-  
dis Apostolicæ dignitate transigere posset etiam re  
infecta, quæ negotij erat caput. Fortasse alia quædā  
etiam occulta pacta, sermonesque fuere occulti in-  
ter legatum eum Abbatem, & Ioannem Archiepisco-  
pum, quibus sermonibus et pactis negotium mutuo  
& arcano consensu composuere impeditum illud, an-  
ceps, deteriusque semper factum dam agitatur. In præ-  
sentia nihil aliud ex eorum colloquijs, totaque nego-  
tiatione arripere potuit hominum solertia, nihilue po-  
stea aliud vulgavit cuncta nudans dies, quā ea ipsa  
quæ in media luce palam agebantur. Haberet sibi Vi-  
cecomes urbem Bononiæ, ipse heredesq. eius, ac re-  
standi causa, iuris eam esse Pōtificij, dena millia flore-  
norum quotannis Apostolicæ Sedi tributum ferrent.  
Coleret piè ac religiosè Vicecomes Apostolicam Se-  
dem, & Pōtifices ipsi vicissim Archiepiscopo Medio-  
lanensi, domique Vicecomitum fauerent paterne,  
ac bencuole, siquidem fide ac obsequio merita  
esset. In eas condiciones pax conuenit, &  
Archiepiscopus Mediolanensis princeps Bononiæ  
appellatus. Vrbs liberata Apostolico interdicto,  
quæ pœna temporibus illis toties irrogata Metro-  
poli, toties ablata, mirari cogit, aut tam pronam  
fuisse Ciuitatem ad peccandum, aut tam sæpe re-  
lap-

lapsos, veniae subinde locum apud sedem Apostolicam inuenire potuisse. Dum Mediolani agitantur ista, & fiunt, struebantur in diuersa parte incrementa Mediolanensi imperio, quae Metropolitim tam alte attollerent, quam euecta antea numquam fuisset. Veneta Classis in Sardo mari, commisso cum Genuensibus praelio, nauibus eorū captis aut demersis caesq; Ligurum exercitu, circumsecta deinde etiam vrbe, & com meatibus interclusis, minitabatur extrema, ei populo; plena ibi omnia cladis, et luctus, desperationisque erant. Neque spes ulla relinquebatur ex Vicecomite populoq. Mediolanensi, cum postea quam in ditionem se se cōtulerāt nostrā, iam ultro descivissent, et interfecto, quem Archiepiscopus dederat Rectore vrbe, praetorem sibi nouum creassent arbitrato suo. Attamen, necessitate cogente implorare auxilium etiā ab iratis, siue, quia sperarent, translaram imperantium ritu omnem esse iram ab miseris in eam partem, cuius tanta victoria esset, per intermissa custodijs loca missis ad Vicecomitem legatis, simul errori, veniam, simul tradita denuo vrbe praesidium ab eo salutemq; petere. Minime fallebat obsessos ea opinio, quam de Archiepiscopi ira erga Venetorum fortunam et victoriam conceperant animis; & cursum eum rerum in aemula sui principatus Republica non minus profecto ille oderat quā Genuenses ipsi, quibus dies vltima, nisi per Metropolitim stetit, aderat. Itaque oblitus priora Vicecomes, vel certe, tamquam oblitus, clasē quantam maximam potest aduersus Venetos mittit, magnoq.



magnosq; praelio victor, capto etiam imperatore Veneto, Ligustici maris potens efficitur, insularumq; & ciuitatum per oram eam dominus. Accessit quarta Sardiniae pars, quam tenuerat hereditario iure ob matrimonium cum Nini Galluræ filia. Ioannes Vicecomes, his editis operibus, & aucto quod acceperat imperio, prolatisque finibus, & bello clarus & pace moritur anno Sal. cis ccc lvi. ab ea quoque parte felix, quod inuito aduersus ipsum foedere, factaq; maximorum principum coniuratione, cui resistere non potuisset, ante tanti discriminis tempus excessit. Pietatis quoque laudem scriptores ei tribuunt, quod propinquante fine, cura nulla maior fuerit tot negotijs implicito homini, quam ut omnibus Ecclesiae mysterijs expiaretur. Et instituerat ipse solenne anniuersarium, ut stato die sacrosancta Altaris mysteria per urbem, Clero vniuerso pompam deducente gestarentur; qua pompa, quo primum die ducta ab ipso est, centum millia mortalium interfuere. Cernitur in templo maximo tumulus huius Archiepiscopi, carmine addito, quo subiectae vrbes logo ordine numerantur cum insectatione vanitatis humanarum rerum, quod dominum tot terrarum parua nunc arca includat, & gignente sibi supplicia corpore ab vermibus laceretur. Tanta fuit eius fama per gentes, ut nullus praeterea Regum principumue tempestate illa sermonibus celebraretur, auersis nimirum in vnius admirationem omnium animis, ob splendorem, & magnificentiam, qua nemo eum aequauit. Clemens

ffff animus

animus erga subiectorum errores; proluxa in Christi pauperes liberalitas erat ei; ac nisi Sedi Apostolicæ molestus fuisset, pauci erant in Mediolanen. Archiepiscoporum numero, quos regnandi prudentia conferre cum Vicecomite hoc possemus. Eo mortuo, Robertus Vicecomes Archiepiscopus est factus, isque re Ecclesiasticâ Mediolanensem tenuit; reliqua diuisa sunt inter Stephani Vicecomitis filios, prout Patruum testamento factæ partes erant. Matthæo (is stirpis maximus erat) cessere, Laus Pompeia, Placentia, Bononia, Massa, Bobium, Pontremulum, & Sancti Donnini vicus. Bernabos hæc accepit; Cremonam, Cremam, Soncinum, Bergomum, Brixiam, Vallemcamonicâ, Rispaltam, & Caruagium, & pleraque minora oppida, & quacunq; Benacus pertingit. Galeacii reliquum fuit imperium. Genuam, ut communi iure haberent, ipsi inter se fratres consueverunt. Metropolim quoque ipsam promiscuo imperio per Prætores regendam esse decreuerunt. Ita, mortuo quamquam Joanne, potentia domus pristina manebat, nisi quod ab omnibus caput & splendor ille rerum desiderabatur. Ferme sub Archiepiscopi Ioannis obitum, Carolus Imperator Mediolanum venit, estq; ab Archiepiscopo Roberto in Basilica Ambrosiana rite coronatus; & vicissim ipse Vicecomites fratres, suos in Mediolanensi prouincia. Vicarios appellauit. Nec multo postea, fratrum eorum maximus moritur, ex intemperantia, sicuti creditum est, libidinis, constuprator illustrium feminarum. Ea vulgatiores fama fuit,

ex hau-

exhaustum immodico turpitudinis usu iuuenem ;  
 ignominiose obiisse ; ceterum, alij prodidere, reper-  
 tas in tabulario Eustorgiano tabulas testamenti, quo  
 Valentina mater, dolos, & insidias fratrum in filij  
 sui vitam, muliebriter infensa execraretur. Mortuus  
 est ad Seronum, duodecimo ab vrbe lapide, cum ob  
 amores libidinesque suas eo sese abdidisset ; proces-  
 sitq. Clerus illuc vniuersus funeris causa, & deductum  
 in urbem cadauer, tumulo maiorum intulere.  
 Matthaeo hoc extincto, siue sua intemperantia eum,  
 siue fratrum dolus abstulit, reliqui duo Galeacius, &  
 Bernabos imperium tenebant. Id per urbium nomi-  
 na regionumque fines diuisisse ac lacerasse non con-  
 tenti, etiam diuisione inter se Portarum urbis lacerare.  
 Tonsa, & Orientalis, & Noua, & Romana  
 Bernaboui euenerunt : Cumanam, & Vercellensem,  
 et Ticinensem, et quae Iouis dicitur, Galeacius accepit ;  
 quasi partibus euertere vellent id quod raptum totum  
 ex alieno occupatumque temere ab initio erat. Cum  
 iuueniliter & inconsulte ita ipsi instituissent rem,  
 imminutaque dissidio domus, amicis dolori esset, alijs  
 ludibrio, nec populus ipse interim Ecclesiae Medio-  
 lanensis, gemino illo principatu laerari posset ; statim  
 extrinsecus aduenere calamitates, & negotia, quae  
 consulere in commune fratres coegerunt. Alioquin  
 dominatus iste per duorum Archiepiscoporum vio-  
 lentiam, interiecto alterius patre, alterius fratris filio  
 raptus ex Caesarum incuria, temporumque condi-  
 tione, perierat ob discordes nepotum animos ; ac re-

dierat pene domus in antiquū eū statū, cūm Vbertus & Berta, & nondū Decij Canonicus Otho apud Masinum inter saxa & rupes onera fortasse tantummodo nobilitatis sentirent. Et fuit omne periculum ex auaritia, quæ semper inimica rebus omnibus honestis, tum verò sit ipsa sibi ridiculum simul, & capitale malum, vbi ad imperij negotia tabes ista peruenit. Dum autem diuiso imperio, diuisaque etiam vrbe fratres, vterque sibi cupidissime tenderent, neutro satis per se tuto, damna, & pericula haec appetuere ambos. Leonardus erat quidam Archiepiscopi Ioannis filius, nihilo melior, quàm reperta semper fuerit eiusmodi proles, quæ cū scelere ignominiaq. parentum procreatur, semperq. parentibus id flagitium sit pœna, spectatis omni semper aetate nōnullorum exemplis, quos ob admissam in sacra toga turpitudinem, & quaesitos inter castimoniae vota liberos, punire postea liberorum ipsorum scelera, miseriaeq; & finis. Leonardus hic Archiepiscopi Ioannis filius delitiæ parentis aliquandiu spesq. & cura, deinde desperatio, & luctus, & pudor, tantas in Nouariensi Praetura, viuo adhuc eo, flagitiorum omnium deformitates, libidine, rapinisq; explicarat, vt suae miseræ libidinis flagitium id abominaretur pater; nec videre amplius spurium, nec audire nomen eius vellet. Ea ipsa patris alienatio crucem sua sponte animum irritarat, libenterque nimium illius odio patruales omnes teneros adultosve deleffer, ne sanguinis nominisque Vicecomitū quisquam

quam relinqueretur. Obstiterat attentus ad custodiam salutemque iuuenum, & vigil, & acer, & in nulla curarum parte remissus senex. Ut ille decesserat, & rapax cupidus fratrum, ipsos ab mutua diremerat ope, deicere utrumque imperio agitabat, & ex-cito in id Ioanne Demarcho Montisferrati, tam hostili animo pares conatus cum prospero etiam euentu adiecit. Ticinum, Alba, Hasta, & quaecunq; fere in subalpinis per Galeacium tenebantur, capta incurfu vno. Simul, Genuenses, & omnis illa ora, tractusq; Ligurum, qua leuitate tradiderant Ioanni Archiepiscopo suam Remp. eâ in constantiam versâ rebellauerunt. Nouariam, & Vercellas, cunctaque camporum Demarchus idem inuasit. Bononiam, Pontifex maximus, damnata Clementis facilitate repetebat; foederataque iam inde ab Genuensi casu contra Ioannem Archiepiscopum Veneta arma, morte paulisper suspensa hostis, acrius infensusque aduersus iuuentam & discordiam heredum mouebantur. Quae, sicut exitialia, Vicecomitum dominatui, ita urbem, agrumque Mediolanensem exercebant inter discordes dominos & belli mala, quorum culpam Galeacius in Bernabouem, hic in illum conferebant, cum verius de utroque Metropolis conqueri posset. Profectò, magnopere ego abesse velim a suspitione flagitij, tamquam, aut Vicecomitum horum, aut familiarum aliarum seruire voluisse memorijs videar, opusq; Metropoli destinatum inquinasse adulatione erga singulas domos; quae ipsae, negotijs & curis cupiditatibus

ratibus

tatibusue nunc occupatae alijs, nec requirunt fortasse ista, nec pertinere ad se iam putant. Sed sicuti parantem à principio me ré tantummodo hisce litteris complecti Ecclesiasticam, idque etiam initio operis professum, profana deinde, & ciuilia, & bellica paulatim inuoluerunt; ita ciuilibus istis bellicisve nostræ urbis casibus, res, & nomina calusque familiarum obrepunt, & gentem nominasse toties vnam pudet. Atqui non aliter constare series Ecclesiae rerum poterat; non aliter explicari quomodo patria per omne tempus egerit, quidue sit passa, quasue pertulerit maximarum rerum difficultates, ut in eum statum, quo nunc stat floretque, perduceretur. Siue immutabili diuinæ prouidentiae lege ac nutu, quo cuncta mortalium reguntur, siue, per nutum legemque eandem, temporum miseria, ciuitatis ipsius vitio, potuerat sic supra ceteros efferre sese vna domus. Ea deinde, sicuti dominantes solent, trahendo in se res omnes, ciuitatis ipsius vim nomēque occuparat, nec opes tantum & vires, sed consilia etiam aliena, & fortuna quodammodo urbis, fiebant eius familiae felicitas, & prouidentia. Rursus, errores, & calamitates eorum in ciuitatem exonerabantur, & luebat Metropolis quicquid vna domus peccabat. Ita prospera vel aduersa Vicecomitum istorum narramus, tamquam miseras gloriasve urbis, cuius periculis administrata omnia fuerunt, in quam damna cuncta recidebant. Bernabos & Galeatius, ubi cadentem hostium impetu suæ domus fortunam, & intentam vndique in se arma conspe-

spexerunt, tum sponte sua, tum precibus amicorum non iam aliena exempla fraternæ discordiæ, sed domesticam præsentemque perniciem, instantia simul, & futura mala proponentium, positis odijs, quæ infida societas imperij aluerat, quæ eue etiam secuta diuisionem erant; vnam illico domum ex duabus, vnicum imperium, animumque sibi vnum fecere. Non portas iam regionesque vrbis rapiunt auiditate dominandi, sed diuidunt sibi pericula, & hostem; ipsaque ciuitas, antea diuisa factionibus inter fratres, cõmuni periculo vrgente, fit exercitus aciesque vna. Tota protinus in equis, & in armis fuit, iamdudum assueta bello, & militariter intenta, parataque ad omneis motus. Exit Ticinensi porta Galeacius cum vrbanæ exercitus parte, populabundosq; Lando quodam duce Theutonas, prælio ad Casoratam vno cædit aut fugat. Emiserant fœderati barbaricam eam manum, vt vastatione agrorum, incendijsque villarũ terrore vrbi iniecto, motus aliquis ciuium aduersus Vicecomitem vtrumque excitaretur. Quæres, si ex ipsorum animi sententia cecidisset, haud postea difficilem in discordi duorum fratrum dominatu defectionem fore vniuersam sperabant. Exitu populationis sensere, nequaquam tam dissoluta, & proiecta omnia esse Mediolani, quàm creditum initio fuerat: Exit verò simul etiam cum exercitu alio Bernabos, ijs animis, vt Mantuæ principem, cui spes & arma fœderatorum præcipuè nitebantur, clade aliqua propria ab fœderis eius societate retardaret, idque est affecutus

affecutus

affecurus, tum robore exercitus sui, tum Clerici vnus  
 prodicione, quo tradente, castella aliquot capta; vnde  
 Mantuano terror, & iniecta rebus mora, quae petita  
 erat. Maior ea, & praesentior fuit, vbi Galeatius, in  
 diuersa parte, tempore eodem, gesta feliciter, fortu-  
 nam suam, & fratris, ex abiecta prope, & desperata,  
 florentem quodammodo, & auctiore excitasse est  
 visus. Namque, dum Mantuanum, & dolis, & ar-  
 mis Bernabos vrget, oblessa per alterum illum, recep-  
 taque Pavia est, & quò illustrius, gloriosiusq; recipe-  
 retur, hostes ipsi adiuuere. Cùm enim in facienda de-  
 ditione, Ticinenses, Galeatij pertinuissent iras, ob  
 atrociam multa, quae, dum obsiderentur, ausi erant,  
 eoque metu, missis occulte ad Bernabouem legatis  
 tradere sese potius huic voluissent, reiecit eos ipse ad  
 fratrem, vltroque deprecator irarum fuit. Ea repen-  
 te aequitas, idque liberale certamen erat inter discor-  
 des nuper, & certamine auaritiaie infensos. Addidit  
 verò etiam Galeatius recepta sic vrbe nobile facinus,  
 quo plebis iuxta & nobilitatis ei' mirifice sibi deuin-  
 xit animos coniecto in vincula Iacobo Buffolario,  
 Monacho, quem hominem, ob male partas opes  
 & scelera publice inuisum, turbasque in ipso discrimine  
 concitantem, cinxit indagine per fratres alios  
 Humiliatos, & cathenis iniectis, misit Vercellas in  
 Monasterium, vnde erat; ibique ille, rata apud Pa-  
 tres captiuitate, claustris inclusus arctioribus est, quã  
 quae ad eam diem fugitarat. De Fratre isto Iacobo  
 referam, quae scriptores ante me alij citrà Ordinis  
 illius



illius offensionem pro didere. Nam, non solum, vitia erunt donec homines, sicut ille ait, sed etiam, ubi prohi sint, & honesti multi, ibi perditum fere, & nequam esse non neminem, iam inde à proditore Iuda fert sermo etiam quotidianus. In Fratre Iacobo Bussolario fuisse omnia praeter pium religiosumque; animum. Animus callidus, ambitiosus, quantecunque fortunae capax, impatiens eius in qua natus erat, quam uere dare claustra, & Ordo ille uniuersus posset; artes, & litterae ei, tum celebratae inter suos, tum gratae in vulgus, tum principum sensibus accommodatae. Concionator ante omnia magnus habebatur. Sed praecipua gloria studiumque eius, consultare de Rep. de bello, de causa imperij, de omni ciuium iure; & ferme ad astus, & dolos, ad saeva, & tyrannica consilia inclinabat, vel hac morum suorum parte nulli fastiditus dominationi, & frequens arcanis. Hominem hunc iam diu quaeritantem negotij aliquid effugiatque ab Monasterio & diuerticulo, Montisferrati Demarchus, captâ Papiâ, praefecerat ei ubi gubernatoremque; ibi appellarat. Sequum ingenium irritatum longa potestatis cupidine, Monasterijque necessitatibus, & priuatae vitae miserijs, ubi materiam diu quaesitam, ubi imperium habuit, exercuit ita, quasi tyrannorum aliorum infantiam atque simplicitatem ultro increpare videretur. Et erat plane noua forma tyrannidis, ubi, concionibus simul, & gladio, per saeuitiam libidinemque; omnem, & rursus imitatione pietatis imperitans Frater, corpora, & fortunas animosque om-

nium in potestate habebat. Feruntq; memorabile illud, & nulla fortasse vnquam antea violentia tyrannorum factum; vt scilicet, posteaquam, caedibus, & rapinis totaq. potestatis vi debacchatus fuerat, concionando denique die quodam in hostem, coegerit orationis vi matronas depromere vltro, & in belli vsus conferre quicquid pretiosi abditum haberent. Adcò, cum rerum atrocitate secundus nemini esset, superabat omneis hoc ipso verborum telo, quo vulneras hominum pectora poterat auertere animos etiam ab malorum sensu quae interim patiebantur; nec mala ea esse, sed medicinam, & salutem probabat. Execrabantur hominem eundem ob impia facinora, & miraculo sapientiae suspiciebant, donec fera flagitiorum poena irretitum contempserit denique cuncti, vinclaque ea nimis molle esse supplicium aiebant. Recepta Papia, punito fratre hoc Bussolario, conterrito Mantuae Principe, caesa fugataque Theutonum manu, & per haec omnia, foederatorum aduersus Metropolim fractis accisisq. rebus, nihil tamè magno opere esse effectum videbatur ob nouum super vrbem Bononia certamen, quo Mediolanensium arma cum grauiore nunc periculo occupabantur. Namque urbem eam, ab Ioanne, sicuti demonstrauius, Archiepiscopo occupatam, ab Clemente Pontifice maximo vindicatam, ab eiusdem Legato traditam rursus attributamq; Vicecomiti, Apostolica Sedes hoc tempore, armis simul, & interdictis asseribat; eiusq; Legatus Aegidius Cardinalis, Picenum cum imperio fere vn-

uersum

versum tenens, non bello solum ad repellendum inde Vicecomitē nitēbatur aperto, sed occultis etiam artibus, quae videri fraudes potuere, nisi consuetudo militaris, & causae aequitas, consilij potius & prudentiae nomen dedisset. Aegidij Cardinalis dolus, siue militare consilium, quo Vicecomites in eo Bononiensi negotio elusit, fuit res quaedam huiusmodi. Verum Bononiam, iam inde ab eo tempore, quo discedens ex vita patruus Archiepiscopus, discordes inter se iuvenes atque ad laecerandā dissidio Metropolitim, suā quemque auaritiā instinctos reliquit, permiserāt Ioanni cuidam Olegianensi regendam imperio, & tuendam, experti fortasse antea fidem hominis in minoribus rebus, & parem animum in re illa tanta, tāq. ancipiti sperantes. Ille enim uero, inutilem in tali negotio stultamque fidem esse existimans, praeclare occasione est usus, seq; ex Praetore dominum eius urbis fecit. Quamdiu manebat discordia inter fratres, damnaque & clades, obstrepente inuidia non sentiebantur, id sicuti pleraque alia damnum in leui habitum est. Ut autem, alio super alium ex oriente metu, & ab vniuersa ruina periculo imminente, resipiscentes positis vanis inter se certaminibus, aduersus externū hostem, & aduersus tot ingruentia arma coaluere, tunc amissa Bononia momentis aestimabatur suis, & recuperare utique eam volebant. Magnificum id quidem, & utile, sed adeo difficile, & impeditum, ut neque esse tentandum videretur. Nam proditor Olegianensis, egregie sese munierat, tum foederatorum

Gggg 2. auxilijs,

auxilijs, tum ciuium ipsorum fide; & procul ab do-  
mo inter hostilia omnia gerenda res Vicecomiti Me-  
diolanensibusque erat. Ac nisi essent haec ipsa tam  
infesta & desperata, desperatissimum infestissimumq;  
erat illud, quod, vbi depulissent vrbe proditorem, bel-  
lum ex ea victoria cum Pont. Max. restare aliud idēq;  
viderent. Itaque impares ei negotio vi aperta, ad  
fraudem iere, quæ hoste ab alio felicior in ipsos pa-  
rabatur; suntq; inter Vicecomites, & Olegianensem,  
& Sedis Apostolicæ legatum tentata paria conatibus  
ijsdem, euentu dissimili, vt Bernabos, & Galeatius  
proditorem fallere suum vellent, ipsi fallerentur ab  
Legato, fraudeq; detecta, res ad Bononiam aperto  
Marte gereretur. Et Vicecomitum quidem dolus in  
Olegianensem, exitusque doli is fuit, vt pace inita cum  
eo, missisque etiam aduersus Romanum legatum au-  
xilijs, incautum deinde sic, & nihil iam ab Mediolano  
timentem opprimere conarentur; & postquam non  
successerat, mouerent denique arma, in fidei desertorē.  
Legatus verò vbi hostem vtrumq. post fraudes irri-  
tas, toto virium conatu de sua Bononia inter se dimi-  
cantes, plusque spei in parte esse Vicecomitum vidit,  
tamquam mutuatæ artem, inito etiam ipse cum his  
foedere, dissoluit ficta societate res eorum secundas,  
deinde translato ad Olegianensem subsidio, retentam  
ab eo exigua in spe Bononiam ex pacto accepit. Bel-  
lum inde cum Apostolica Sede gerebant Vicecomites  
nostri, ductoq; in Bononiensem agrum exercitu Ber-  
nabos, oppidis arcibus, castellisq; captis, secundiore  
ali.

aliquandiu utebatur fortuna, quàm quæ armis deberi illis videretur. Non tamen iidem interea, quamquam bello occupari impio, destiterant regnantium more dare vrbi significationes pietatis; publicorumq; operum magnificentia detinebant siue erigebant ciuium animos, quæ semper fuit ars & cura principibus, semperq; violentis & impijs rebus præclara & speciosa multa tyranni etiam addere consueverunt. Xenodochia, & valetudinaria Mediolani Bernabos instituit, sub D. Catharinæ nomine vnum, sub D. Iacobi aliud, sub D. Ambrosij tertium, & quæ Mala Statio hodie iuxta forum maximum dicitur, vt aeris alieni causa nexi, defectique vitæ alimentis, subsidio aliquo publico sustentarentur. Arcem Iouis Galeatius inchoauit, quæ postea communiter ab utroque Vicecomite absoluta munimentum eadem & terror vrbis, post Philippi Mariæ deniq; mortem, detrectante id iugum populo, diruta est, & rursus instaurata per generum eius Sfortiam. Galeatij etiam opus fuit Palatium in Arena æmulum magnificentiæ alterius illius, quod ab Azone cum D. Gothardi Aede prius extructū fuisse demonstraui. Iuxta D. Ioannis Aedem, quæ ad Concam dicitur, palatium aliud Bernabos, perducta ad Romanam vsque turrim xysto cum ea turri coniunxit, muroque est amplexus quicquid inde spatij per fossæ ambitum ad vsq; D. Stephani Basilicam excurrit, & eius vestigia muri in hunc diem cernuntur. His aliisque perfectis operibus, Galeatius, & Bernabos, rem deinde longe pulcherriorem aggressi, Ticinense Gym-

Gymnasium instituerunt, quod hodie seminariū nostrī Senatus, Magistratumque vrbis, idemq. nationibus exteris bonarum artium emporium, tot ab primordio sui, ad hanc ætatem edidit decora pacis, & litterarum fere miracula, vt scholae pene illæ totam disciplinis suis excoluisse Italiam merito dici possint. Neque tamen dici illud potest, plusne nominis & famæ Gymnasio ipsi attulerit, eorum claritudo, & fama, qui diuersis tēporibus in suo quisque genere principes Academiam obtinuerunt, an eorum rursus nomē & gloria, qui ab Magistris huiusmodi prodierunt. Adcō, pares in vtraque parte palmæ virorum spectantur, & sapientiæ flos occurrit ex omnibus prouincijs accuratissimo semper delectu petitus cōductusq; huc expoliendæ iuuentuti, rursusq; ex ipsa iuuentute, prouentu felici sparsus in omnes terras, quacunque litterarum, & ciuilibus disciplinæ aliquid sedet. Incertū & ambiguum id quoque dictū, maiora ne præmia, vel ad opes, & splendorem, vel ad sapientiæ testimonium magnitudinemque nominis, abstulerint sibi posterisque suis ex Ticinensi Gymnasio, Doctores ipsi, an alumna Doctorum, & velut Academiæ proles iuuentus elato hinc per omnes gloriæ vias pede plus eiusmodi præmiorum inuenerit. Nam Magistri simul & discipuli, purpurâ & lato clauo, quibusve alijs fulgere insignibus gloriosa mortalitas amat, & domum, & patriam vnde erant, auxere ad certamen. Statque, & his & illis gloria in æquo, nisi quod assidue subolescens atque inexhausta iuuenum multitudo, decora omnia  
latius

latius occupauit, maiorque Cardinalium, & Senatorum populus numerari parte in ista potest. Pontifices Maximi prodire ab hisce scholis, quodq; longe augustius etiam censeret oportet, prodire Sancti. Tantum porro voluminum ex eodem fonte manauit ad illustrandas artium optimarum disciplinas, ut si alibi cessatum à scriptis esset potuerit hæc sufficere bibliotheca generi humano. Quam Academiae felicitatem, & tanta per omnia ætates incrementa inuentus Cæsares, & Pontifices, quicunque alij facultatem indulgendi aliquid habebant, ornauere eam immunitatibus, & priuilegijs, quæ magnitudinem, & gloriam eius testarentur simul & auerent. Et nostræ Ciuitatis clarissimi ciues, quibus opes in id animique suppeditarunt, haud ampliorem vllum de patria benemerendi locum existimauere esse, quàm si ad Ticinum in ipsa Gymnasij sede Collegia fundarent, in quibus surgentis iuuenes studiorum causa alerentur. Hinc Mariana, & Castelleonea, & Griphia, Bossiaque hospitalitas laceffit, & vocat hodie illuc familiarum earum prolem; & generosi fundatores illecebra talis hospitij Musas atque sapientiam penetibus inducunt suis, etiam postquam ipsorum nomina audiri desiere. Sed Collegia quoque ista iam fere desiere audiri, postquam Sanctus Carolus Borromæus, & Pius V. Pont. Max. posito ibidem vterque regalis magnificentiae Collegio, Academiam quodammodo ipsam ad suæ Ciuitatis, & patriæ adolescentes transferre potuerunt, ut largius ibi opulentiusq. quam in patria haberentur.

Stant.

1360

Stant excessivae moles, altitudine & maiestate sua confessae Romani Pontificatus opes, et multo magis inclytas conditorum animas, quae talibus docuere monumentis, quos opum earum esse exitus oporteret. Aluntur ibi principum disciplina et ritu nobiles adulescentes, quibus nobilitas ipsa oneri erat; et ditati interim Academiae disciplinis, domos fere suas augent opibus, per quas nepotes alij subsidia et alimēta ea repudiabunt. Bernabos, et Galeatius anno salutis millesimo tercentesimo sexagesimo, id Ticinense Gymnasium aperuere; vnde Metropoli Senatores, et Magistratus, vnde haec etiam, quae inter sacra dominatur prudentia iuris, & omne aequi ac iniqui discrimen uenit. Ac principio quidem, sicuti rerum omnium initia et clementa habentur, horridum, et rude quiddam scholae illae Ticinenses fuerunt: principesque ipsi magnificum & ingens nescio quid se se afferre existimauerunt, cum Dialecticos, & Medicos, & Philosophos, et iurisperitos ad inchoandam Academiam praesto sibi esse profiterentur, et de ea re edicta promulgarent. Postea, res in tantam frequentiam venit, ut classes ibi profitentium habeantur, et cuius modò rei discipulus esse possit, eius sint etiam interpretes, et magistri, tum maratini, tum verpertini, tum primores, et ante signani, tum alij extra ordinem: quod factum ita institutumque credo est, praesertim, ut varietate docentium, proteruitate ac satietati iuuentutis obuiam iretur. Antequam scholae istae, Vicecomitum cura institutae essent, peregrinabantur studiorum



diorum causa iuuenes nostri, cœtusque & scholas  
procul ab domo alienas frequentabant. Reuocauere  
Bernabos & Galeatius edicto vniuersos; & dome-  
stica disciplina erudiri deinceps ad Ticinum iusserunt.  
Eae litterae sunt datæ ad 117. Cal. Nouembris eius  
anni quo Academia ipsa fundata apertaue erat.

Vrbs autem Ticinum est, electa, ideò, quia præter a-  
moenam, cœli temperiem & accessus illuc ex tota  
Insubria faciles, locus esse videbatur ciuili comitate,  
& suburbanâ licentiâ recte compositus aptusq; Me-  
tropolitanae iuuentuti. Nam ætatē egressam  
adoleſcentiæ rudimenta, iuuenili ferocia

exultantem, ignaram obsequij, co-  
miter atq; hilare habendâ esse  
conſebant inter studia  
ſapientiæ, & vi-  
tiorum  
necessitates quas ſecum  
ipſa affert.

